N nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: In honorem Beatissimæ semperque Virginis Dei Genitricis MARIÆ de Mercede, necnon Sanctissimi Patriarchæ Petri Nolasci nostri Ordinis Redemptionis captivorum, ex revelatione eiusdem Immaculatæ Virginis Fundatoris.

Electione Magistri Generalis, omnium vocalium suffragijs, feria tertia, die decima quinta mensis Octobris, anni Millesimi sexcentesimi quinquagesimi octavi, ad primam diei lucem, canonicè celebrata: confirmationibus Vicariorum Generalium Indiarum, tam del Perù, quàm Novæ Hispaniæ; necnon nominationibus Procuratorum Generalium in Curijs, Romana, & Regia, à pleno Diffinitorio (vt moris est, & à nostris constitutionibus sancitur) peractis, eodem die, hora fere septima vespertina, & alijs sequentibus, noster Reverendissimus Pater Generalis electus, Diffinitorium ad ea, quæ ad bonum regimen expectant, stabilienda, iussit congregari. In quo interfuerunt idem Reverendissimus P. Generalis electus Magister Frater Ioannes Assensio, R.P.M. Fr. Iacobus Castellar Prior Barchinonensis, R.P.M. Fr. Bernardus Riera Provincialis Aragoniæ, R.P.M. Fr. Hieronymus de Valderas Provincialis Castellæ, R.P.M. Fr. Hyacinthus Iust Provincialis Valentiæ, R.P.M. Fr. Michaël Auury Provincialis Galliæ, R.P.M. Fr. Ferdinandus Galarça Provincialis Italiæ, R.P.M. Fr. Michaël de Alcantara Procurator Generalis in Romana Curia, & Vicarius Generalis Italiæ, R.P.M. Fr. Iosephus Abad, & Fr. Ioannes Perez de Çaragoça Diffinitores Generales Arago-

niæ, R. P. M. Fr. Ioannes de Contreras, & Fr. Ioannes Diaz Morquecho Diffinitores Generales Caſtellæ, R. P. M. Fr. Ioſephus Sanchis, & P. Præſentatus Fr. Petrus Noguera Roig Diffinitores Generales Valentiæ, R. P. M. Fr. Franciſcus Faure, & Fr. Hieronymus Ruix Diffinitores Generales Galliæ, R. P. Magiſtri Fr. Ioannes de Salcedo, & Fr. Rodericus de Montiel Diffinitores Generales Vandaliæ, & R. P. M. Fr. Antonius de Torres Diffinitor Generalis Italiæ, ex quorum omnium conſilio (rebus varijs ſeſſionibus, attenta pupilla inſpectis) decreta, & ſtatuta ſubſequentia ſancita fuere.

DECRETA SANCTI DIFFINITORIJ, tam vniverſum Ordinem, quàm diverſas Provincias concernentia.

PRIMO, ad pleniorem obſervationem Motus proprij Sanctiſſimi fœlicis recordationis Vrbani Octavi de expulſione Regularium delinquẽtium, iuxta id, quòd ſimiliter decretum eſt in Capitulo generali Barbaſtrenſi, & Murcienſi proximè celebrato, hoc ſanctum Diffinitorium in ſingulis Provincijs totius Ordinis ſex Conſultores deſignavit, quatuor, ſcilicet, Provinciæ Diffinitores, & duos Diffinitores generales, & cuiuſlibet eorum defectu, duos Electores generales, de quorum ſex conſilio Reverendiſſ. Magiſter Generalis poterit in criminoſos, & in incorregibiles expulſionis ferre ſententiam.

Item, viſum fuit Sancto Diffinitorio (ob varias cauſas maturè conſideratas) vt quidam iudicialis ordo diſponatur, in quo tota Religio præfixam normam habeat de

modis

modis,quibus se gerere debet in Religiosorum causis fulminandis,& in incorregibilium expulsione, pronuntiandis sententijs, iuxta dispositionem novi decreti sanctitatis Vrbani Octavi fœlicis recordationis: cuius curam,& solicitudinem sanctum Diffinitorium commissit R.P.M. F. Michaëli de Alcantara,de sua scientia,& experientia conscium; simulque decrevit, quòd prædicta iudicialis forma à N. RR. P. Generali electo semèl approbata,deinceps à tota Religione amplectatur, & observetur, ad vitandas nullitates in Religiosorum causis.

Item,vt cessent multa inconvenientia,quæ ipsa experientia, magna esse, comprobavit, circa exemptiones, quas Magistri Generales pro tempore existentes, concedere consueverunt multis Religiosis,tam in sedendo, quàm in non assistendo Choro, necnon, & officijs conventualibus,& similiter circa dispensationes super celebratione plurium Missarum, quam permittunt nostri Ordinis constitutiones, necnon super immunitatibus à à dictis Magistris Generalibus aliquando quibusdam concedi solitis,illos sibi,ac Generali, pro tempore exituro; immediatè subijciendo (revocando imprimis dictas exemptiones) decretum,& statutum fuit, vt nullus Religiosus possit talibus exemptionibus, dispensationibus, immunitatibus,& subiectionibus vti, nec Prælati vlteriùs illis assentiri, sub pœna privitationis officij, quoad Prælatum, ad annum; quoad reliquos verò illis vtentes, sub pœna carceris,in quo detineri debeant per sex menses. *Ex decreto Capituli generalis Bilbilitani à Clemente Octavo confirmato apud Bullarium fol. 200. Et ex decreto Toletani ab Vrbano Octavo confirmato, apud Bullarium fol. 249. Ab hoc Capitulo laudatis, & observari præceptis.*

Nihilominus tamen poterit Magister Generalis cum aliquibus dispensare iure nostrarũ constitutionum dist.

2. cap.

2. cap. 5. seu declarare, aliquos frui debere exemptionibus, non personalibus, sed realibus, id est, illis, quibus ratione officij, gradus, & antiquitatis gaudere possunt. Qua propter decrevit hoc sanctum Diffinitorium circa Lectores, vt qui Artium, & sacræ Theologiæ lectionibus vndecim annorum spatio (approbatione facta à Capitulo Provinciali) incubuerint, etiam si nondum obtinuerint Præsentaturæ gradum, omnibus, & singulis Præsentatorum exemptionibus (exceptis voto, paternitate, & loco sedendi) fruantur. Qui verò quinque annorum spatio tantùm huiusmodi lectionibus operam dederint, solum exemptionibus Altaris quoad Epistolam, & Evangelium canendum gaudeant. *Ex Capitulo Toletano, decret. 5. apud librum mai. fol. 207.* Circa Lectores actuales, qui actum lectionibus incumbunt, decrevit, solum interesse debere Choro diebus festivis ad Missam maiorem, Vesperas, & Matutinas cantandas, ad contemplationem, ac denique ad Capitulum quotidianum, & non vltra. Insuper, & Missam vnam pro se celebrare posse, præter asignatam à constitutione. *Ex consuetudine Religionis ab hoc Capitulo laudata.*

Circa Prædicatores, ne munus, & officium prædicationis defectu præmij decrescat, similiter declaravit, vt qui in officio Prædicatoris conventualis de licentia Superiorum occupantur, gaudeant, dùm hoc officio funguntur, exemptionibus circa Altare, Matutinas media nocte dicendas, & primam. *Ex decreto Cap. Tolet. ab Vrbano Octavo confirmato apud Bull. fol. 248.* Insuper, & Missam vnam pro se celebrare possint, vltra à constitutione cuilibet Religioso assignatam. *Ex eodem decret. 5. Capit. Tolet. ab hoc confirmato.* Circa Choronistas verò Provinciarum decrevit hoc sanctum Deffinitorium, vt ijsdem exemptionibus, quibus Prædicatores actuales Conventus gaudent, fruantur. Circa Procuratores

Re-

Redemptionis, vt omnibus privilegijs, quibus Procuratores domorum sunt contenti, gaudeant. Ac denique circa Magistros novitiorum, & Vicarios Conventuum, decrevit, vt omnino, ab officio Altaris sint absoluti, ac pro se duas Missas celebrare possint, vltra à constitutione asignatam. *Ex decret. huius Capit. Hoscensis.*

Demum, ne, qui per multum temporis in Religione Domino inservierunt, absq; aliquo levamine senectam ducant, statuit, ut illi, qui per quadraginta annos continuos in Religione, cum vitæ, ac morum approbatione degerint, à Matutinis media nocte dicendis, Prima, & Nona, & regulariter ab Epistola, & Evangelio in Missis decantandis sint absoluti, reliqui verò cuiusvis ætatis sint, omni obligationi subiaceant, senibus autem, & impeditis, de sibi necessarijs, ac de socio laico, qui illorum curam gerat, provideatur. *Ex decret. Cap. gener. Tolet. ab Vrbano Octavo confirmato apud Bull. fol. 248.* Et quoad Epist. & Evang. *ex Cap. Tolet. decret. 4. ab hoc confirmato.*

Item decrevit hoc sanctum Diffinitorium, quòd in omnibus Provincijs PP. Diffinitores earum; necnon Diffinitores, & Electores generales, dum prædictis officijs funguntur, omnibus exemptionibus, gratijs, & privilegijs Magistrorum de numero gaudeant. *Ex decret. huius Capit. Hoscens.*

Item, habita consideratione laborum, quos Patres vocales, ad Capitulum generale Barbastrense, & Murciense proximè celebratum concurrentes, hyemalibus molestijs glatierum, nivium, fluminumque inundantium, in itineribus sunt passi, quin & Vocales ad Capitulum generale Barchinonense præteritum convocatos, canicularibus ferventis Solis caloribus summopere vexatos fuisse; idemque imminere periculum, & alia maxima incom-

incommoda providè, prudenterque timeri, si Capitula generalia futura (iuxta decretũ Capituli generalis Toletani à sanctiss. D. N. Vrbano Octavo fœlicis recordationis, confirmatum) *Magistratu Ordinis quovismodo vacante, quatuor solum mensibus expletis, quocumque anni tempore accidat,* celebrentur. Hoc sanctum Diffinitorium tot calamitatibus occurrere satagens, earumque præsuram evadere cupiens, seria, & matura attentionẽ decrevit, vt in posterum Capitulum generale, Magistratu Ordinis quovismodo vacante, si per quatuor menses ante festum Pentecostes, id evenerit, in Vigilia dicti festi celebretur. Si autem successerit mors, vel alia (vt præfertur) vacatio intra tempus quatuor mensium ante dictum festum, tunc ad Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris eiusdẽ anni celebratio Capituli, differatur. Similiter, si Magistratus vacatio prædicta per quatuor mẽses ante dictum Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris, acciderit, in tali Sabbato dictæ Dominicæ, celebretur: si autem intra tempus quatuor mensium ante dictam Dominicam Octobris successerit, tunc ad Sabbatum, seu Vigiliam Pentecostes anni immediatè futuri, transferatur.

Rursus, decrevit hoc sanctum Diffinitorium, nostris inhærendo costitutionibus, celebrationes Capitulorum generalium semper in Sabbato, & non alio die, fieri debere. Vnde in hunc finem, & pro maiori declaratione decreti immediatè præpositi, decernit. Quod si quatuor menses à vacatione Generalatus expleantur ante Sabbatum Pentecostes, celebratio Capituli fiat in Sabbato Pentecostes. Et similiter, si expleantur ante Dominicam tertiam Octobris, celebratio Capituli fiat in Sabbato Dominicæ tertiæ Octobris. Si verò quatuor menses à vacatione Generalatus expleantur post festum Pentecostes, intra octavam tamen dicti festi, celebratio Capituli

tuli generalis fiat in Sabbatho primo post festum Pentecostes; & similiter si dicti quatuor menses vacationis expleantur post dictam Dominicam tertiam Octobris, intra octavam tamen illius, celebratio Capituli fiat in Sabbatho primo post tertiam Dominicam Octobris, & nõ vltra,ne ob tam paucos dies electio Generalis in tam longum tempus differatur. Interim autem donec Capitulum,novaque electio fiat,Prior Monasterij Barchinonensis semper sit Caput,& Vicarius generalis totius Religionis. Supplexque, ac humile hoc sanctum Diffinitorium Santiss. P. exorat, huiusmodi decretum pro benignitate sua confirmare,& præfatum Santiss. Vrbani VIII. derogare dignetur.

Item,actum est in hoc sancto Diffinitorio, de tempore, quo celebranda sunt Capitula Provincialia Provinciarum Valentiæ, & Vandaliæ, quæ tempore à nostris sacris constitutionibus præfixo, ob concurrentiam cum vacatione Magistratus Ordinis, celebrari non puetuerunt,in qua Capitulorum Provincialium celebrationes, vt Religio in eodem prorsus statu permaneat, nostræ constitutiones prohibent. Decretumque fuit celebranda fore intra tempus à nostris constitutionibus designatum, nempè in Dominica *Cantate* anni venturi millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni; relinquendo arbitrio Reverendiss. P. N. Generalis electi, vt dies eligat, & nominet in temporis spatio præfixi; ad præfatorum Capitulorum celebrationem, iuxta decretum Clement. VIII. circa ante positionem, vel post positionem quadraginta dierum, in concurrentia Capitulorum.

Item, consequenter decrevit sanctum Diffinitorium, vt deinceps in perpetuum, celebrentur Capitula Provincialia verno tempore,circum circa Dominicã *Cantate*; & quòd, si in dicto tempore Magistratus Ordinis vacare contigerit,Capituli,vel Capitulorum Provincia-

B lium

lium celebratio, vsque ad aliam Dominicam *Cantate* immediatè futuram, prorogetur. *Ex decret. huius Capitul. Hoscens.*

Item, sanctum Diffinitorium temporum angustias inspiciens, ob easq; omnium Provinciarum paupertatem generalem experiens, atque obviare, & levare Conventuum gravamina satagens: maturè decrevit, & statuit sub præcepto formali obedientiæ, & pœna excommunicationis maioris, ipso facto incurrendæ, vt deinceps, in Capituli, sive Generalis, sive Provincialis, celebratione, tantummodò duo cibaria, vltra vsitatum alimentum, cum aliquo parco, vulgariter *Postre* vocato, ex tẽporum fructibus superaddito, vocalibus subministrentur; & hoc solum in vigilia, & die electionis: in alijs verò sequentibus, quotidiana portio, cum aliquo principio solum apponatur: & in diebus ieiunij prout mos est, illis inserviatur.

Item, hoc sanctum Diffinitorium vtilitati Provinciarum Novæ Hispaniæ, & del Perù in Regnis Indiarum Occidentalium, earumque levamini consulens, ne superfluis sumptibus, & contributionibus nimis graventur, decrevit, vt de cætero, contributiones pro vestuarijs Magistri Generalis in illis Provincijs fieri solitæ, minimè fiant; sed pro vestuarijs Magistri Generalis, & sumptibus Procuratoris generalis Curiæ Romanæ, & negotijs, seu litibus in ea concurrẽtibus, designavit sanctum Diffinitorium medietatem contributionum, quæ in illis Provincijs pro vestuarijs suorum Vicariorum generalium, fiunt, iuxta ea, quæ fieri, consueverunt; ita vt tales contributiones in duas æquales partes dividantur, quarum vna Magistro Generali in Hispaniam mittatur, altera verò ipsis Vicarijs generalib⁹ pro sui officij sumptibus, designetur.

Item, varijs rationibus inspectis, maturæ decrevit hoc san-

ſanctum Diffinitorium, quòd illa quarta pars reſidua ex fratrum defunctorum expolijs, hucuſque Conventibus, Provinciarum capitibus, pro ſumptibus, & expenſis Reverendiſſ. Magiſtri Generalis, in ipſis frequentiùs commorantis, deſignata, deinceps ipſo facto reponatur, & cuſtodienda donetur Religioſo à RR.P. Generali nominato, pro ſumptibus ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis vbicumque exiſtentis. *Ex decret. huius Capit. Hoſcenſ.*

Item, cùm Galliæ Provincia ſibi incorporare voluerit Cœnobium Perpinianenſe, quod ſemper ſub regimine Provinciæ Aragoniæ fuit, declaravit hoc ſanctũ Diffinitorium, non obſtante, quòd Civitas Perpinianenſis modò ſub Regis Chriſtianiſſimi dominio ſit, præfatum Cœnobium, in illa ſitum, ad Provinciã Aragoniæ pertinere; qua propter ſemper in Capitulis Provincialibus Aragoniæ Commendator prædictæ domus eſt nominandus: & quòd (durante bello) N. RR. P. Generalis de gubernatione prædicti Conventus, meliori modo, quo potuerit, provideat.

Item, propoſita huic ſancto Diffinitorio pro parte R. P. Magiſtri Fr. Michaëlis Avury Provincialis Galliæ difficultate, & incommoditate, quam habent R.P. Provinciales prædictæ Provinciæ ad regimen illius, ob longam inter Conventus diſtantiam; qua de cauſa plerumque remedio, vel diſpoſitione carent, ea quæ Religioni proficua, vel obnoxia, ſeſe offerunt. Hoc ſanctum Diffinitorium (rationibus à prædicto R. P. Provinciali allatis, inſpectis) decrevit: quòd R. P. Provincialis Galliæ, qui modò eſt, vel temporis decurſu fuerit, in dicta Provincia, nominet, & inſtituat aliquem Patrem, aliàs virtute, & prudentia præditum, qui Commendator non ſit, in Commiſſarium Provincialem, qui quidem, in cauſis, vel caſibus prõptum remedium poſtulantibus, de illo ordinet, & provideat ſub quibuſcumque cenſuris

 ſuo

suo arbitrio imponendis (citra tamen visitationem sine speciali facultate:) similiterque, si opus fuerit, iudiciales litteras, causasq; criminales Religiosorum fulminet, & eas R.P. Provinciali remittat, vt, iuxta in eis allegata, sententiam proferat, vel de illis disponat, quidquid magis observantiæ regulari, & rationi fuerit consonum.

Simul, ordinavit sanctum Diffinitorium, quòd prædictus P. Commissarius Provincialis resideat in Aquitania, R. P. Provinciali Parisijs existente, & è converso, si R. P. Provincialis in Aquitania commoratur, dictus P. Commissarius Provincialis Parisijs assistere debeat. Insuper declaravit, quòd in quovis Conventu vbi præfatus P. Commissarius extiterit, primam sedem ante Cōmendatorem occupet, dummodò illic, vel ad illas partes non accedat R. P. Provincialis, quia tunc sicut supprimitur iurisdictio, ita est impertinens prælata sessio. Quæ omnia inserenda fore in litteris patentibus à R. P. Provinciali prædicto Commissario exhibendis, totum Diffinitorium sancivit.

Item, cum dubitatum fuisset in sancto Diffinitorio, ad quem facultas exponēdi ad Religionis gradus attineat? Post dissertam iurium inquisitionem, declaratum fuit, pertinere ad quodlibet Diffinitorium cuiuslibet Provinciæ, non solum approbationem lecturæ, vel prædicationis ad prædictos gradus, sed facultatem exponendi ad illos. Quia tamen expositio ad futuram vacantem ex decreto Pauli Quinti est prohibita; similiter declaravit hoc sanctum Diffinitorium (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura prævidentur bono regimini imminentia damna, & ne Religiosi, aliàs idonei, & approbati illis orbentur vsque ad Capitulum futurum) posse Diffinitorium Provinciale prædictam facultatem exponendi, quæ iure nostrarum Constitutionum Diffinitorio Provinciali privativè competit, concedere

cedere Reverendiſſ. P. Magiſtro Generali, vt quoties graduum vacatio contigerit, poſſit exponere ad talem determinatam vacantem quemlibet ex approbatis à Diffinitorio Provinciali. Inſuper decrevit, ita diſponendum fore caput vigeſimum quintum noſtrarum conſtitutionum de Magiſtris, & Præſentatis.

Item, confirmavit hoc ſanctum Diffinitorium, quod iam decretũ eſt in Capitulis generalibus Hobtenſi, Barbaſtrenſi, & Murcienſi proximè celebratis, circa facultatem, & poteſtatem R. P. Prioris Barchinonenſis Magiſtratu vacante, tanquam ſupremi Religionis Capitis, & Vicarij generalis totius Ordinis, de, & ſuper confirmatione graduum vacantium tempore ſui regiminis; & hoc ſanctum Diffinitorium, nemine diſcrepante, declaravit, R. P. Priorem Barchinonenſem ratione officij prædicti habere ſufficientem facultatem, & authoritatem ad confirmationem graduum conferendam iure noſtrarum ſacrarum Conſtitutionum diſt. 2. cap. 4. his verbis: *Viceſque, & poteſtatem Magiſtri Generalis in omnibus, prout in his Conſtitutionibus ſancitur, habeat. Sic declaravit Capitulum generale Hobtenſe, Barbaſtrẽſe, & Murcienſe; confirmavitque hoc Capitulum Hoſcenſe.*

Item, deſiderans hoc ſanctum Diffinitorium inter Patres Principatus Cataloniæ, & Aragoniæ iurgia ſedare, & pacem ſtabilire, decrevit: vt de cætero in Capitulis Provincialibus Provinciæ Aragoniæ, eligatur, adminus vnus ex Patribus Principatus Cataloniæ in Diffinitorẽ Provincialem. *Ex hoc Cap. Hoſcenſ.*

Item, attendens hoc ſanctum Diffinitorium devotionem, & affectum, quem Fratres noſtri Ordinis habent erga D. Petrum Nolaſcum P. N. & Fundatorem, admiſſit privilegium Pauli Quinti conceſſum Fratribus Minoribus Ordinis S. Franciſci, quòd incipit: *Domini*

noſtri

nostri Iesu Christi, qui Confessores suos,&c. Dat. Romę apud Sanct. Mar. Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesima Martij, anno 1617. Pontificat. anno 12. illud extendens ad nostrum Ordiuem, decrevit: vt semel in mense prima die non impedita alio festo novem lectionum Officium de ipso Sancto P. N. Petro Nolasco, prout in die festo eiusdem, in toto Ordine nostro, recitetur.

Item, decrevit sanctum Diffinitorium ad perpetuam rei memoriam, quòd tam Reverendiss. Magister Generalis, quàm Provinciales, Commendatores, & Vicarij generales, in fine quarumcumque litterarum patentiũ, & aliarum testimonialium Scripturarum, Professionum &c. hoc vtantur stylo, vt post numeratum Domini annum, similiter scribere debent annum fundationis Ordinis, his verbis: *à fundatione verò nostri Ordinis, & descensu Beatæ Mariæ Virginis, anno N. (qui hodie est) quadringentesimo quadragesimo primo. Ex decret. huius Capit. Hoscens.*

Denique propositum fuit huic sancto Diffinitorio, quòd aliàs in Capitulo generali Barbastrensi, ad instantiã Eminentissimi D. Cardinalis de Lugo, nostræ sacræ Religionis Protectoris, fuerat decretum, videlicet: vt ad vnguem, matura inquisitione, nostræ sacræ Constitutiones examinentur, & iudicij trutina perquirantur: nam multa, cum in illis reperiantur obstrusa, aliaque omissa notentur, quæ sæpius in varijs Capitulis generalibus ad validius regularis observantiæ fulcrum sunt notata, indigent additione, & explicatione; circa quod sanctum Diffinitorium decrevit; vt RR. PP. Provinciales, Prior Barchinonensis, & Procurator generalis Romanæ Curiæ adamusim perlegerent, & discurrerent, omnia ea, quæ in Capitulo generali Murciensi proximè celebrato fuerunt in varijs sessionibus diligenter, erga singula

nostrę

nostrę sacræ Constitutionis capita, notata, & sub singulis Capitulis eiusdem Constitutionis, iussu Capituli generalis Murciensis, addenda; & quòd, si in prædictis additionibus nihil invenerint iuri Canonico, & nostris sacris Constitutionibus contrarium, sancto Diffinitorio manifestent, & similiter si aliquid in dictis codicibus iudicaverint addendum, tollendumvè N. RR. P. Generali electo proponant, vt sua Reverendissima Paternitas, nostras sacras Constitutiones, hoc maturo examine purgatas, typis submittat, & si quid, in eis apponendum, indigeat confirmatione, pro illa sanctissimum P. exoret.

Et cùm prædicti Reverendi PP. prædictos codices attentè perlegissent, quę singuli invenêre, digna notatu, N. RR. P. Magistro Generali electo, suis nominibus subscripta, dederunt. Quæ omnia sua Reverendissima Paternitas nō solū approbavit, sed decrevit, cum prædictis notationibus esse nostras Constitutiones prælo mãdandas; quòd simul approbavit, & confirmavit hoc sanctum Diffinitorium, & exoravit N. RR. P. Generalem electum, vt quàm celerius possit, acta Capituli generali Murciensis, cum additionibus, & actis in hoc Capitulos factis in lucem edat, & ad singula Cœnobia omnium Provinciarum transmittat. Omnia verò, quæ in Capitulo generali Murciensi fuere elaborata, & quæ ab hoc Capitulo generali Hoscensi ablata, & addita sunt in fine cuiuscumque decreti, adnotantur ordine sequenti.

***

DIS-

DISTINCTIO PRIMA

CAPVT PRIMVM

De Officio Ecclesiæ.

QVOTIDIE celebretur Missa conventualis in omnibus Conventibus, in qua assistant omnes legitimè non impediti, in eaque, vltra communia, & particularia suffragia dicatur oratio pro sanctissimo, & fœlicissimo statu Ecclesiæ. *Ex decreto Clementis Octavi, apud Bullar. Ordinis, fol. 215.*

Die Sabbathi cuiuscumq; hebdomadæ post Primam inviolabiliter celebretur Missa de Beata Virgine, iuxta ritum Romanum, cui intersint omnes Religiosi cuiuscumque gradus, aut qualitatis extiterint, Reverendiss. Magistro Generali non excepto: similiter eodem die post Completorium ad cantandum Antiphonam Salve in Capella maiori Ecclesiæ conveniant. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc laudato, & approbato.*

CAPVT II.

De inclinationibus.

HVic capiti nostrarum Constitutionum nihil est addendum.

CAPVT III.

De suffragijs mortuorum.

PRo quolibet Religioso professo, cum decesserit in quolibet Conventu illius Provinciæ vna Missa conven-

conventualis, cum sua vigilia, & responso cantetur, sin-singulique fratres Sacerdotes vnam Missam privatam, Clerici septem Psalmos Pœnitentiales, & laici centum Paternoster exolvere tenentur. *Ex decreto Clementis XIII. apud Bull. fol. 215.* Eademq; suffragia etiam pro Religioso novitio defuncto celebrentur. *Additum ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Commendator domus, vbi aliquis Religiosus obierit, quam primùm poterit, certiores faciat, tam Provincialem, quàm Commendatores illius Provinciæ de fratris morte, nomine, & officio, vt pro illo suprapostita suffragia fiant; tenenturque Commendatores nomen defuncti fratris scribere in tabula ad hunc effectum in Choro, vel Sacristia destinata, quam debeant Provinciales in suis visitationibus sedulo examinare, & an suffragia pro defunctis sint integrè persoluta. *Ex decreto Capit. Murciensis ab hoc confirmato.*

Audita morte sanctissimi Domini nostri Papæ, in singulis Conventibus nostri Ordinis solemnes exequię pro ipso fiant, idemque pro Eminētissimo Cardinale nostræ Religionis Protectore, & pro Rege, & Regina Catholicis, totius Religionis Patronis, & Fundatoribus fiat. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc confirmato.*

Singulis annis infra hebdomadam commemorationis omnium defunctorum, in toto Ordine fiat Anniversarium generale pro animabus fidelium Captivorum, qui in infidelium potestate Catholicā Fidē retinentes mortui sunt. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 206.*

Qualibet feria secunda (tempore Paschali excepto) post Primam, cantetur Missa quotidiana defunctorum, qua finita, fiat Processio, vt Cæremoniali notatur. Quod si dicta feria secunda aliquo festo solemni impedita fuerit, in tertiam, vel quartam feriam transferatur. *Ex decreto Capit. Murciensis ab hoc confirmato.*

CAPVT IV.

De Horis fratrum laicorum.

HVIC capiti nostrarum constitutionum nihil est addendum.

CAPVT V.

De Oratione mentali.

CVM ex nostris constitutionibus quotidie bis mentaliter orare teneamur, decrevit sanctum Diffinitorium tempus primæ orationi toto anni tempore dimidiam saltem horam immediatam ante primam destinare, taliter quod primo mane omnes fratres in Choro conveniant, vbi genibus flexis, invocato Spiritu Sancto, Antiphona: *Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta.* Vers. *Emitte Spiritum tuum, &c. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, &c. Salvos fac servos tuos, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium, &c. Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Defende quæsumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate Familiam, & toto corde tibi postratam ab hostium propitius tuere clementer insidijs. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Secundò etiam conveniant post Completorium, factoq; saltem

ſaltem poſt dimidiam orationis horam ſigno à Prælato, hebdomadarius incipiat Antiphonam.*Conceptio tua,&c.* prout in rituali Ordinis notatur. Et iuxta hoc decretum eſt ordinanda conſtitutio, vbi deſignat tempus orationis immediatè poſt Nonam, vel Matutinas.*Ex decreto Bilbilitano,Hobtenſi, Burtinenſi, & Murcienſi ab hoc laudatis, & approbatis.*

Temporibus deſignatis tenentur omnes fratres nemine dempto, nec Magiſtro Generali, ad orationem mentalem convenire, niſi propter grave impedimentū, & rationabilem cauſam videatur Prælato rarò cum aliquo diſpenſare. *Ex Clemente VIII. in Bull.fol. 215. & Paulo V.apud Bargas,pag.502.*

CAPVT VI.

De diſciplinis.

PRæter diſciplinas conſtitutione aſignatas, quarta, & ſexta feria quadrageſimali,& ferijs ſextis per totum Adventum Religionis,veſpere omnes fratres conveniāt in Choro, vel Eccleſia, & ibi communem faciant diſciplinam. *Ex Clemente VIII.in Bull.fol.217. num.25.*Et *Capit. Murcienſ. extendit ad ferias ſextas Adventus.* Alias verò communes diſciplinas, quibus in pluribus Conventibus noſtri Ordinis magno proventu, ac edificatione Religioſi ſe excent, *laudavit,& approbavit hoc Capitulum Hoſcenſe.*

CAPVT VII.

De cibo.

COmmendator nunquam à refectorio abſit, nullumque Religioſum, tam Magiſtros, quàm Præſenta-

tos abesse permitat: quod si Commendator ex consuetudine à refectorio abesse constat, officio, & commenda privetur. *Ex Paulo V. apud Barg. pag. 503. & ex decreto Capituli Murciensis ab hoc emendato.*

CAPVT VIII.

De ieiunijs.

PRæter ieiunia in nostris Constitutionibus statuta, tenentur ieiunare omnes fratres in omnibus vigilijs festivitatum Beatæ Mariæ Virginis, Dominæ, ac Patronæ nostræ, & in vigilia sanctissimi Patriarchæ Petri Nolasco. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc aucto.*

CAPVT IX.

De collatione.

HVic capiti nostrarum Constitutionum nihil est addendum.

CAPVT X.

De vestitutu.

COmmendatores provideat Religiosis omnibus necesseria ad vestitum, & ille, qui habitum integrum in triennio, & calceaméta toties, quoties opus fuerit suis subditis non dederit, puniatur in Capitulo Provinciali ad arbitrium Diffinitorij, & sit inhabilis ad cæteras Prælaturas. *Ex Paulo V. apud Barg. pag. 500. & ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Prælati nequeant sibi aliquid vestimentorum sumere, nisi id ipsum cæteris Religiosis tribuant, sub pœna priva-

privationis vocis activæ,& passivæ,ac suorum officioru. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol. 246. col. 4.*

Non possunt fratres nostri vestimenta profana gestare sub pœna reclusionis duorum mensium, pro prima vice, & pro secunda,& tertia sex mensium,quorum duo sint gravioris culpæ, quam pœnam Provinciales in suis Prouincijs, & Commendatores in suis commendis executioni sine remissione mandabunt. *Ex Clemente VIII. apud Bullar. 216. num. 17.* Sub ijsdemque pœnis præcipimus,vt fratres nostri vestibus omnino albis (etiã iterfacientes) vtantur, semperque, chorio nigro præcingantur. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis*, illa clausula: *Procuratores,& iter facientes marsupium ferre poterunt*, pertinet ad caput 20. de proprietarijs, ibique est collocanda, & in capite 23. dist. 2. de fratribus iter agentibus. Et illa alia: *Commendator verò sigillum cum scuto Ordinis habeat*, cap. 15. dist. 2. est apponenda. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XI.
De lectis.

HVIC capiti nostrarum Constitutionum nihil est addendum.

CAPVT XII.
De rasura.

Nihil est addendum huic capiti.

CAPVT XIII.
De infirmis.

SVB pœna privationis officij præcipimus Commendatoribus, ne quovis titulo,vel prætextu audeãt necef-

necessaria, tam in victu, quàm in medicamentis infirmis negare. *Ex Paulo V: apud Barg. pag. 500. in fine. & Vrbano VIII. in Bullar. fol. 246. col. 2.*

CAPVT XIV.

De minutione.

Huic capiti nihil est adendum.

CAPVT XV.

De Silentio.

Huic capiti nihil est addendum.

CAPVT XVI.

De levi culpa.

PRo notitia huius capitis, & sequentium, vbi de gravi, graviori, & gravissima culpa agitur, notari debet, materiam eiusdem delicti dici puniendã pœnis gravis, vel levis culpæ, quod debet intelligi (ne videatur in cõsequentia, vel oppositio constitutionum) iuxta gravitatem, vel levitatem materiæ, quæ in moralibus aggravant, vel diminuunt culpam. Præterea huic capiti debent addi pœnæ, quæ per varia capita cõstitutionis sunt dispersa, vnicuique propria adaptando, vt facilius in promptu habeantur. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XVII.

De gravi culpa.

Nihil est addendum huic capiti.

C A-

CAPVT XVIII.

De graviori culpa.

Nihil est addendum huic capiti.

CAPVT XIX.

De gravissima culpa.

HVIC capiti debet addi, quod iam aliàs fuit statutum, nempe observari decretum sacræ Congregationis de apostatis, & eiectis à sanctissimo Domino Vrbano VIII. confirmatum circa expulsionem incorrigibilium. *Ex decreto Capituli Murcitensis.*

Religiosus, qui ea delicta commissit, quibus pœna capitis, aut triremium debetur in sæculo, de sententia iuridica Generalis Magistri, aut Provincialis cum duobus Diffinitoribus, vel Prælatis ad triremes mittatur tempore pro qualitate criminis debito, non per expulsionem à Religione, sed per expoliationem habitus: transacto verò tempore pœnitentiæ redire tenetur ad Religionem, & se suis Prælatis præsentare, vt de eius conventualitate provideant, & tunc inter reliquos fratres habitu eodem indutus, commoretur. *Ex decreto huius Capit. Hoscensis.*

CAPVT XX.

De proprietarijs.

REligiosi nequeat habere redditus annuales, seu census, nisi de licentia Sedis Apostolicæ; quod si aliquis habuerit ipsis statim privetur, & applicentur Conventibus, seu Monasterijs, quibus ex vi constitutionis pertinent. *Ex Paulo V. apud Barg. pag. 500.*

Sub pœna privationis officij præcipimus Prælatis, ne à sub-

à subditis ex his quæ in communi deposito habent quidquam, vel minima quantitate, neque ad brevissimum tempus sumant, aut mutuatum petant. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol. 247. col. 4.* Idem fuit præceptum sub pœna excommunicationis, *à Clemente VIII. apud Bull. fol. 227. num. 28.*

Huic capiti addenda est clausula capitis 10. prout ibidem notatur, nempe: *Procuratores poterunt secum habere marsupium, quatenus ad sumptus Conventus fuerit necessarium. Ex decreto Capituli Murciensis.*

Item, vbi in hoc capite dicitur: *Magister Generalis, &c.* debet addi: Vicarij Generales Indiarum tenentur reddere rationem omnium, quę in ministerio sui officij receperint. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXI.

De Apostatis.

APostatæ statimatque ad aliquem Conventum appulerint incarcerentur, & per dies aliquot flagellis, & in pane, & aqua ieiunijs puniantur; statimque compellantur ad suum Conventum, vnde exierunt regredi. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol. 247. col. 3.*

Quicumque sic fugitivi, sine licentia suorum Prælatorum ordinem aliquem susceperint, sint perpetuo irrimissibiliter suspensi à talis Ordinis exercitio, & ad alios ascendendi perpetuo inhabiles, nisi aliter à sancta Sede dispensetur. *Ex Vrbani VIII. vbi supra.*

Vltra pœnas sacrorum Canonum, Religiosus Clericus suscipiens Ordines sine licentia suorum Prælatorũ, per triennium damnetur ad triremes; conversus verò per sexsenium. Superioresque non demandantes executioni hanc pœnam maneant suspensi à divinis in vtroque foro.

foro. *Ex Clemente Octavo apud Bullar. fol. 216. n.11.*

Nullus Religiosus cuiusvis status, & conditionis extiterit, possit extra Provinciam ire, nisi cum expressa licentia Reverendissimi Magistri Generalis in scriptis, & quemlibet, absque huiusmodi licentia, è sua Provincia decedentem, ex nunc in perpetuum eius antiquitate professionis per duos annos pro singulo mense, quo mãserit extra obedientiam privamus; & si fuerit laicus pro prima fuga, quam fecerit extra Provinciam, vt per triennium absque cucullo, & scapulario incedat, & in coquina deserviat; & pro secunda vice ad triremes per triennium condemnamus. Et si fuerit Præsentatus, vel Magister, ipso facto, eum privamus gradibus quos habuerit ab Ordine; & ex nunc in perpetuum declaramus, quod quilibet, qui sic discedat habeatur pro infami, & inhabili ad quodvis officium obtinendum, & quod non valeat habilitari. *Ex decreto 14. Matritensi à Paulo V. confirmato.*

Qui sic fugitivi in aliqua Provincia permanserint minimè ad sacros Ordines promoveantur, adhuc de licentia Provincialis illius Provinciæ, sed est necessaria Provincialis eius vnde aufugerint, cuius sunt filij, quam non concedet in consulto Magistro Generali. *Ex Paulo V. apud Barg. pag. 502.*

Religiosus in Ordine nostro professus, qui ad alium Ordinem transierit, quomodolibet id fiat, si postea, emissa, vel non emissa professione, ad nos redierit, totum tempus á priori ingressu in nostram Religionem, vsque ad diem reditus ex illa, ad quam transivit, illi ad obtinendam antiquitatem nullatenus computetur, sed ab eo die incipiat novissimus esse, ac si tunc primò habitum suscepisset; si quos autem gradus, dignitates, aut officia in Religione habeat, ipso facto vaccent. *Ex Vrbano VIII. apud Bullar. fol. 247. col. 1.*

CAPVT XXII.

De absolutione apostatæ, vel excommunicati.

NIHIL est addendum huic capiti nostrarum Constitutionum.

CAPVT XXIII.

De recipiendis ad Ordinem.

IN hoc capite, vbi dicitur: *Ita ut nullus recipiatur in Ordine, nisi de consensu maioris, vel sanioris partis*, illa clausula, *vel sanioris partis*, est delenda. *Ex decreto huius Capit. Hoscensis.*

Sub pœna suspensionis ab officio per sex menses præcipitur Prælatis, ne aliquem ad habitum Religionis admittant, nisi habeant qualitates, & conditiones á constitutione requisitas, *Ex Clemente VIII. apud Bullar. fol. 215. num. 7.*

Nullus Religiosus alienæ professionis cuiuscumque qualitatis, aut conditionis extiterit, possit ad nostram Religionem admitti; super quo taxatur Magistro Generali potestas: similiter Magistro Generali, & Procuratori Generali in Romana Curia taxatur potestas suum præbendi consensum super transitum Religiosorum ex Discalciata ad nostram primitivam, seu de la Observancia Familiam, supplicaturque sanctissimo Domino nostro, vt de sua benignitate dignetur hoc decretum confirmare. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Nullus ad habitum nostræ Religionis admittatur, nisi prius de genere, moribus, & vita, accurata, & fidedigna informatione, ac alijs, quæ expresse habentur in nostris Constitutionibus prædicto capite 23. Commendatori,

datori, & Communitati plenæ illius Conventus, vbi recipiendus est, clarè constet. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Observari præcipimus decretum ex Motu proprio Sixti Quinti, quo decrevit, quod nullus ex sacrilego, aut incestuoso concubitu, vsque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradū, natus, ad habitum admittatur, neque ad professionem in aliqua Religione, quod si secus fiat, professionem decernit esse nullam, eosque facit inhabiles ad profitendum, & ad ascendendum ad qvoscumque gradus, aut dignitates; reliquosque illegitimos ex alio thoro natos, spurios, vel naturales, etiam aliás legitimatos, ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis, & circunstantijs vniversis, fidedignis testimonijs, ita, vt eorum receptio videatur profutura vniversæ Religioni, commodo, & vtilitati eius; super quo in Generali, vel Provinciali Capitulo matura deliberatione habita, vnanimi consensu diffinitorum, & Provincialis, vel Generalis, ad habitum regularem approbentur. Et nihilominus hi sic recepti, ad gradus, honores, & dignitates Ordinis, perpetuò sint inhabiles, nisi á Sede Apostolica, vel á Magistro Generali in Capito Generali, aut Provinciali cum pleno Diffinitorio specialiter dispensetur cum eis, cognita prius specie illegitimitatis. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc addito, & emmendato.*

Declaramus, Vicarios Conventuum non esse Prælatos cum sufficienti authoritate, & potestate ad admittẽdum, vel tradendũ habitum novitijs; poterit tamen si sit Præsidens in Capite, vacante officio Commendatoris, etiam si sit per suspensionem ab officio. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Vlterius decernimus esse addendum in fine huius

 capitis,

capitis, vbi dicitur: *Et tempus probationis assignetur ei à Prælato.* Tempus probationis iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 23. & de iure, quod est integer annus, post quem immediatè novitius est admittendus, vel repellendus. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXIV.

De instructione Novitiorum.

HVic capiti nostrarum Constitutionum nihil est addendum.

CAPVT XXV.

De Professione.

IN hoc capite vbi dicitur: *Et nisi prius sint à maiori parte Conventus approbati*, addendum est: Similiter irrita, & nulla sit professio illorum, qui ex sacrilego, aut incestuoso concubitu vsque ad tertium consanguinitatis, vel affinitatis gradum, sunt nati. Pariter, & illorum, qui ex aliena professione fuerint recepti; si verò tacita veritate, vel expressa falsitate, huiusmodi defectus habẽtes professionem emiserint, quocumq; tempore id cognognoscatur, ab ordine nostro penitus tanquam non professi expellantur. *Ex motu proprio Sixti V. quoad sacrilegos, & incestuosos à Capitulo generali Murciensi, & ab hoc Hoscensi admisso.* Quoad alienæ professionis, ex decreto Capituli Toletani ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullar. pag. 247.

De tradendo habitu manentibus in sæculo, & recipiendo ad beneficia Ordinis nostri.

Huic capiti nihil est addendum.

CAPVT XXVII.

De confessionibus, & Confessoribus.

PRovinciales,&Visitatores in Conventuum visitationibus,licentias audiendi confessiones, confessarijs non graduatis in Magisterio, vel Præsentatura suspendant, donec novo examine approbentur,& idonei reperiantur. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol. 246. col. 4.*

CAPVT XXVIII.

De redemptione Captivorum.

QVI bona redemptionis in aliquo defraudasse repertus fuerit,non solùm voce activa, & passiva in perpetuum privatus existat,sed illum sic delinquentem, nec Provincialis, nec Generalis Magister ad tales voces restituere,& ab ea pœna liberare possit, nisi solum vniversum Diffinitorium generale vnanime, & conforme, ac nemine discrepante. *Ex Capitulo Vallisoletano apud Barg. pag. 261.*

Bona Redemptionis nequeant à Conventibus pretio comparari, nisi intra viginti quatuor horarum spatium, pretium pro emptione in communi deposito reponatur; quod si contrarium per aliquos Prælatos fiat,pœnis Cõstitutionum subjaceant. *Ex decreto Matritensi à Paulo V. confirmato.*

Pœnæ

Pœnæ Constitutionum in bona Religionis defraudãtes, non tantum sunt excommunicatio, & privatio vocis activæ, & passivæ, sed etiam privatio officiorum in tota Religione, & ita sunt in posterum intelligendæ, & infligendæ. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Pecuniæ, quæ venerint ex Indijs ad rediniendos Captivos, vnacum reliquis, quæ aggregabuntur in Provincijs Castellæ, & Vandaliæ, tantummodo deserviant, & applicentur redemptioni Captivorum dictarum Provinciarum, absque eo quod Magister Generalis illas extrahere, aut in redemptionem Captivorũ aliarum Provinciarũ, vel in alios vsus convertere, seu aliter applicare valeat, sub pœna privationis officij. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullar. fol. 200. col. 3.*

CAPVT XXIX.

De his, qui eleemosynas Redemptionis procurant.

Huic capiti nihil est adendum.

CAPVT XXX.

De Redemptoribus.

Redemptores non consumant pecunias, quæ pro redemptione alicuius determinatæ personæ per parentes, consanguineos, vel amicos sunt collatæ, nisi in in redemptione illius, pro quo fuerunt largitæ. *Ex decreto 12. Murciensi de anno 1636.*

Patres Redemptores tanquam Legati á Latere possunt Captivos Christianos, á quibuscumque criminibus Apostolicæ Sedi reservatis absolvere, & illorum vota commutare, ac si persona eiusdem Pontificis præsens

adesset:

adesset: *Ita notatum videtur in margine Constitutionum antiquarum, super scholium huius capitis ex Alexandro. Sed in Bullario neutiquam reperitur tale privilegium, licet fol. 51. ex privilegio Ordini Prædicatorum concesso per participationem in aliquibus casibus tali facultate gaudere, Seraphini scholiũ asserat. Ideò decrevit hoc Diffinitorium supplicari Sanctissimo, super renovatione, seu concessione de novo huius facultatis, & gratiæ, & apponi huic Capitulo. Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXXI.

De modificatione pœnarum.

LIcet in hoc capite detur facultas Magistro Generali dispensandi, & mitigandi in pœnis à Constitutionibus taxatis, monetur tamen, ne liberè, & cum facilitate dispenset, nisi transacta iam maiori parte pœnitentiæ, prævisisque in pœnitentibus manifestis, & evidentibus signis doloris, & correctionis. *Ex Paulo V. apud Bargas, pag. 502.*

DISTINCTIO II.

CAPVT PRIMVM.

De possessionibus habendis, & de domibus acceptandis de novo.

EX hoc capite decrevim⁹ esse tollendũ ab illa particula: *In virtute obedientiæ*, vsque ad: *Mutatum est*, inclusivè. Sicque debet istud Caput ordinari, & continuari: *Præsenti constitutione statuimus, & ordi-*

ordinamus in virtute obedientiæ, & sub pœnis excommunicationis, absolutionis ab officio, & privationis Commendæ, &c. vsque ad finem. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT II.

De Capitulo Generali.

CApitulum generale, Magistratu Ordinis vacante ante sexennium, si saltim quatuor menses supersint, à vacatione, vsque ad festum Pentecostes, in Vigilia dicti festi celebretur; si autem successerit mors, vel alia vacatio prope festum Pentecostes, ita vt quatuor mensium spatium non supersit, tunc ad Sabbathum Dominicæ tertiæ Octobris eiusdem anni celebratio Capituli differatur. Similiter, si dicta Magistratus vacatio saltim per quatuor menses ante dictam Dominicam tertiam Octobris, contingat, Capitulum Generale in tali Sabbatho Dominicæ tertiæ Octobris celebretur; si autem aliter evenerit vacatio, tunc celebratio Capituli ad Sabbathũ, seu Vigiliam Pentecostes anni proximè, & immediatè sequentis, transferatur; quibus temporibus, & non alijs, Capitula generalia celebrari, præsenti Cõstitutione sancimus. Rursus statuimus, & ordinamus, huiusmodi Capitula generalia semper in Sabbatho, & non alio die, celebrari debere. Vnde, in hunc finem, & pro maiori declaratione huius decreti, statuimus, quod si prędicti quatuor menses vacationis compleantur statim post festum Pentecostes, scilicet intra octavam illius, aut similiter compleantur intra octavam prædictæ Dominicæ tertiæ Octobris, celebratio Capituli Generalis non differatur vltra in aliud tempus, sed in Sabbatho post festum Pentecostes, aut in Sabbatho post Dominicam tertiam Octo bris, fiat; ne ob tam paucos dies Religio Magistrum Genera-

neralem per tot menses, tantumque temporis tractum, desideret. Interim autem donec Capitulum Generale, novaq; electio fiat, Prior Monasterij Barchinonẽsis semper sit Caput, & Vicarius Generalis totius Religionis. *Sic decrevit hoc Capitulum Hoscense, & Sanctissimum Patrem exorat, vt illud pro benignitate sua confirmare, & contrarium sanctissimi Vrbani VIII. derogare dignetur.*

Capitulum generale intermedium non debet celebrari, nam Sixtus V. semel super eius celebratione dispensavit. *Est Bulla specialis in Bullar. fol. 193.* Et Paulus V. decrevit, quod Capitulum generale intermedium de cætero minimè celebretur, sicut consuevit celebrari, daturque Magistro Generali facultas per se ipsum agendi quidquid in prædicto Capitulo fieri consuevit. *Adest Bulla Pauli V. in Bullar. fol. 248. col. 2.* Et Capitulum generale Toletanum præcipit observari speciali decreto ab Vrbano VIII. confirmato *in Bull. fol. 248. col. 2.*

Tempus gubernij Prioris Barchinonensis est computandum á die adeptæ possessionis officij Vicarijs Generalis, dummodo hoc fiat immediatè post habitam notitiam vacationis Magistratus Generalis. *Ex decreto Capituli Burtinẽsis à S.C.R. confirmato, sub die tertia Octobris, anno 1653. Et brevi speciali Sanctissimi Innocentij Decimi, sub die 12. Maij 1654.*

Tempus vacantis, & officij Vicarij generalis minimè tenetur expectari casu, quo Magistratus ante absolutionem Capituli suæ electionis vacaverit. *Ex Paulo V. apud Bargas, pag. 503.*

Si quando officium Generalatus vacaverit, & fuit notificata vacatio Conventui Barchinonensi, non sit Prior electus, tenentur Patres Conventuales intra spatium vigintiquatuor horarum Priorem de more iuxta Constitutiones eligere. *Ex Vrbano VIII. vbi supra.* Quod si

fecus fecerint in gubernio Religionis & officio Vicarij generalis succedat Provincialis, aut Vicarius Provincialis in Capite illius Provinciæ, vbi erit celebrandum Capitulum generale immediatè futurum: deficiente verò Provinciali, aut tali Vicario Provinciali, succedat Commendator illius domus, in qua celebrandum est Capitulum. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Officium Prioratus Barchinonensis non vacat durante spatio, ac tempore officij Vicarij Generalis, etiam si aliàs triennium talis Prioratus expleatur. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol. 248. col. 3.*

Si Prior Barchinonensis tempore, quo Magistratus vacaverit, fuerit legitimè impeditus gubernationi Religionis, in eius locum succedat Provincialis, & eius defectu Vicarius Provincialis in Capite; deficiente autem tali Vicario Provinciali, Commendator illius Conventus, in quo erit celebrandum Capitulum immediatè futurum, cum omnimoda, & plenaria potestate Vicarij Generalis, prout in nostris Constitutionibus sancitur. *Ex decreto Capituli Bilbilitani, Hobtensi, Barbastrensi, & Murciensi ab hoc confirmato.*

Debet servari alternativa in officio Magistri Generalis, taliter quod vna vice sit ex Corona Aragoniæ, & Galliæ, ac Italiæ, altera ex Corona Castellæ; inclusis Provincijs Vandaliæ, & Indiarũ. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 199. col. 3.* Si tamen Magister electus obierit ante absolutionem Capituli suæ electionis, non iudicatur eius alternativa expleta, sed ex eadem debet de novo fieri electio Magistri Generalis. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Talis alternativa debet intelligi ex filijs cuiuslibet Provinciæ, qui in ea professionem emisserunt, nec sufficit, quod in aliqua fuerint adoptati, vt eiusdem alternativa gaudere possint. *Ex decreto Capituli Matritensis*

de

de anno 1606. in libro maiori fol. 67.

Eo modo quo servatur alternativa erga personam eligendã, debet servari erga locũ electionideterminatũ, taliter, quod quando persona erit eligenda ex Corona Aragoniæ, domus Capitularis assignetur in Corona Castellæ, & è contra. *Ex Clemente VIII. apud Bull. fol. 199. col. 3.*

Magistratus Generalis non intelligitur vacare, etiam si Magister Generalis ad regimen alicuius Ecclesiæ promoveatur, vel præsentetur; nec successor in officio Vicarij Generalis se ingerere potest, vsque dum de præconizatione in Romano Consistorio ad Episcopatum autentico testimonio constet. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bull. fol. 299. col. 3.*

In hoc capite vbi agitur de vacatione Magistratus Generalis per decessum, debet addi: *renuntiationem*, vel alio modo, &c. Et paulò post, vbi dicit: *Si autem successerit mors*, addatur, *renuntiatio*, vel alia, &c. Potest enim Magister Generalis liberè renuntiare Magistratũ, nulla alia causa adhibita, nec desiderata, præter humilitatem, & hæc renuntiatio fieri per se, vel per Procuratorem suum legitimum, non solum in manibus Summi Pontificis, sed etiam in manibus Nuntij suæ Sanctitatis in illis partibus, & Regnis, vbi Magister extiterit, etiam si non sit Legatus à Latere. Imò talis renuntiatio erit sufficiens, si coram Provinciali, Diffinitoribus, & Electoribus Generalibus illius Provinciæ, in qua Generalis extiterit, fiat; dummodo Secretarius Religionis testimonio fidem faciente eam testificetur, quod testimoniũ Commendator domus, vel Secretarius, iuxta ea quæ capite quarto sequenti dicuntur, per nuntium specialem ad Priorem Barchinonensem, vel ad quem, iuxta disposita, officium Vicarij Generalis spectat, mittat, qui statim vacationẽ Magistratus fratribus omnibus illius domus,

 in

in qua residet, in Capitulo congregatis, prædicto testimonio fidem faciente, manifestet, & tunc ab omnibus solemniter obedientiam recipiat coram tali nuntio de omnibus his testimonia fidedigna recipiente, vt de anno, die,& hora possessionis officij Vicarij Generalis omnibus iuridicè constet;quāprimumq; talis Vicarius Gñlis ad omnes Provincias literas suas patentes, tā obediētiæ, quam convocationis ad Capitulum Generale celebrandum, transmittat. Supplicaturque Sanctissimo, vt præfixam renuntiationis formā,ac cætera hęc omnia confirmare dignetur.*Ex decreto Cap. Murciensis ab hoc aucto.* Præterea declaramus(ad omnem ambiguitatē tollendā) quod tempus gubernij Vicariatus Generalis totius Ordinis non debet perdurare per quatuor menses, nec per aliud tempus,casu quo expleatur electionis sexennium.

Huic capiti addi debet decretū capitis quarti subsequentis, vbi hæc habet. Et licet Vicarius Generalis in officio Generali succedat; illi tamen nullatenus liceat Electores mutare, vel privare,aut novos eligere ad Capitulum generale proximum;sed quantum ad hoc ijdem Electores, quos Magister Generalis per mortem, vel decessum (adde renuntiationem) vel privationem reliquit,permaneant.Ita vt Religio in eodem prorsus statu perseveret, sicut fuerat ante vacationem Magistratus. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Hoc decretum ita rigorosè est observandum, vt nullatenus Vocales Capituli generalis tempore vacationis Magistratus expirent, etiamsi compleatur triennium; sed Capitulum Provinciale cum vacatione Magistratus concurrens, ad Dominicam *Cantate* proximè futuram, post Capitulum Generale transferri debet. Sicque est exponenda,& limitanda constitutio infra capite 6. vbi dicit:*Capitulum Provinciale tertio quoque anno fiat in qualibet Provincia*, quæ est clausula generalis habens hanc limita-

limitationem. *Ex decreto Guadalfaxaræ de anno 1618. à Gregorio XV. confirmato apud Bull. fol. 229.*

Ex hoc capite delendum videtur id, quod de Capitulo Generali Cæsaraugustano narratur, ab illis inquam verbis: *Quare in Capitulo Generali, &c.* vsque ad illa: *In Provincia Castellæ, & Portugaliæ*, inclusivè. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

In fine huius capitis, vbi dicitur: *Diffinitores autem omnes in generali Capitulo congregati, &c.* vsque ad illa: *firmiter decernant*, addendum est. *Nisi aliàs à sancta Sede Apostolica fuerint confirmata. Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

CAPVT III.

De Electoribus Magistri Generalis.

PRæter Electores Magistri Generalis à Constitutione in hoc capite determinatos, duo alij in qualibet Provincia designentur, eadem forma, qua duo socij Provincialis ad Capitulum generale eliguntur: ita vt in qualibet Provincia quinque sint Electores suffragium habentes in Capitulo Generali; Provincialis nempè, & quatuor socij, quorum duo titulo Diffinitorum, alij verò Electorum Generalium gaudebunt. *Ex decreto Capituli Matritensis apud librum maiorem Religionis, fol. 65. consuetudine firmato.*

Qui titulo Electorum designantur, tantum habebunt suffragium in qualificatione Vocalium ante electionem, & in electione Magistri, ac domus capitularis: secus tamen in alijs Diffinitorijs. *Ex consuetudine in Capitulo Murciensi, & in hoc Hoscensi confirmata.*

Diffinitores, & Electores Capituli Generalis tenentur esse gradu Magisterij, vel Præsentaturæ insigniti, vel

saltim

saltim per viginti annos á professione antiqui, vt in electione Magistri possint habere suffragium. *Ex decreto Capituli Barchinonensis de anno 1632.* Tempusque prædictæ antiquitatis viginti annorum, per autenticum, & fidedignum transumptum professionis constare debet. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Quicumque ad Romanam Curiam in officio Procuratoris generalis strenuè, & cum approbatione communi, per quinquennium se gesserit, si fuerit Magister, vocem habeat in Capitulo generali proximè immediatè futuro. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bull. fol. 249. col. 1.*

Talis Procurator Generalis non tantùm habet vocem in Electionibus Capituli Generalis, verum etiam in Diffinitorijs illas subsequentibus, cum præcedentia loci ad omnes Diffinitores Generales, vsque ad absolutionem Capituli. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Prior Barchinonensis, etiam si non præsit Capitulo, habet vocem, non tantùm in electionibus, verumetiam in Diffinitorijs subsequentibus, dum ea, quæ pro reformatione, & bono regimine Ordinis decernuntur; & locum immediatum Provincialibus, & Vicarijs Provincialibus; vocem tamen primam in omnibus, & ante omnes habebit. *Ex decreto Vallisoletano à Clemente VIII. confirmato apud Bull. fol. 203. col. 2.*

In electione Diffinitoris, vel Electoris Generalis, loco illius, qui morte, vel impedimento legitimo, Capitulo Generali assistere nequit, quæ à Diffinitoribus Provinciæ, simul cum Provinciali fieri debet; vocem habebit Magister Generalis, si præsens fuerit, minimè tamen Vicarius Generalis. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Provinciales nequeunt nominare Vicarios, qui loco eorum Generali Capitulo assistant, & suffragentur, ipsis suas Provincias gubernantibus; sed dumtaxat cum ita

sunt

sunt impediti, vt neque suarum Provinciarum gubernio sint expediti. Quare solum admittatur ad suffragandum Vicarius Provincialis, qui tunc nomine Provincialis impediti, gubernationem suæ Provinciæ exercebat. *Sic exposuit, & moderavit hoc Diffinitorium Hoscense* clausulam huius capitis: *Vel fuerit omninò impeditus.* Estque magis consonum *decreto Capituli Guadalfaxaræ, de anno 1609. apud librum maiorem, fol. 80.*

Non licet Vicario Generali, nec Provinciali à die vacationis Magistratus, vsque ad novam Magistri Generalis electionem, aliquem Electorem voce activa privare; quod si ratione alicuius delicti, vel ob alias causas sit inhabilis, & suffragandi actione ex iure communi, vel nostrarum Constitutionum, careat, à Capitulo Generali ante electionem decernatur. *Ex decreto Capituli Murciensis.* Idem decrevit hoc Capitulum Hoscense observandum erga vocem passivam Electorum. *Ex decreto huius Capituli.*

Curent diligenter Provinciales, dum ad Capitulum Generale conveniunt, autentica, & fidedigna testimonia de omnibus notatu dignis, quæ in sua Provincia acciderint, secum afferre de Conventuum fundationibus, præsertim de vita, & morte eorum, qui cum speciali sanctimoniæ, & virtutum fama decesserint. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bullar. fol. 248. col. 2.*

Ex hoc capite delendum videtur id, quod dicitur de Electoribus, scilicet: Commendatoribus Gerundæ, Valentiæ, & Cæsaraugustæ; nempe ab illis verbis: *Præter hos tamen supradictos, &c.* vsque ad illa: *Ad id muneris nominantur*, & infra etiam est delendum ab illis verbis: *In Provincia autem Castellæ, & Vandaliæ*; vsque ad finem capitis. *Ex decreto Capituli Matritensis apud lib. maio. Religionis, fol. 65.*

CA-

De electione Magistri Generalis.

ETsi iure nostrarum Constitutionum omnes Vocales Capituli Generalis convocati iudicentur ad Vigiliã Pentecostes, in qua expletur sexennium, Magister tamen Generalis tenetur oportuno tempore illos ad celebrationem dicti Capituli convocare. *Ex decreto Capituli Murcienfis.*

Omnes Vocales in vigilia vigiliæ Pentecostes, vel in feria 6. ante Sabbathum Dominicæ tertiæ Octobris, vel denique die immediatè præcedenti ad electionem in Conventu designato conveniant, ibique á Præside Ordinis, & Capituli benignè suscipiantur; & Vicarius Capituli nominetur, qui iurisdictionem ordinariam super omnes Capitulares, & alios fratres ad Capitulum concurrentes, exercebit. *Ex consuetudine in Capitulo Generali Murciensi confirmata.*

Talis Vicarius est eligendus ex Capitularibus illius Provinciæ, in qua celebratur Capitulum, vir providus, religiosus, pacificus, & virtute præditus. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Eodem die, vespertina Sessione congregata, & facta commemoratione pro Domino Papa, & fœlici statu Ecclesiæ, pro Rege, pro benefactoribus Ordinis, & Captivis vivis, atque defunctis, prout infra cap. 17. de Capitulo quotidiano in nostris Constitutionibus statuitur, Præses electionis brevem, & piam orationem habeat, qua Patres Electores de fine conventionis moneat: simulque ad electionem novi Magistri Generalis rectè, legitimè, & canonicè peragendam hortetur, virtutesque, prudentiam, & doctrinam viro eligendo necessarias exponat, qua peracta, ad examẽ Vocalium procedat, & pri-

& primo præcipiat, idque secundo, & tertio moneat, vt si quis aliquem Vocalium in Diffinitorio, aliquo impedimento legitimo, vel censura Ecclesiastica innodatum (ratione cuius in electione non habeat suffragium) assistere sciverit, continuò manifestet. Quod si aliquis reperiatur, & sufficienter probetur tale pati impedimentum à Diffinitorio declaretur, & de Capitulo eijciatur: ita vt in hac sessione omnes Vocales examinentur, & ad futuram die sequenti electionem certo numero statuantur.

Die sequenti primo manè ad Auroram omnes Vocales legitima voce ad electionem pridie designati, in loco capitulari conveniant: ibique celebretur Missa Spiritus Sancti, & concio literalis Latino idiomatè ad Electores habeatur, exhortando eos ad rectã, & bono communi vtilem electionem; qua finita omnes flexis genibus Hymnum *Veni Creator Spiritus*, cantent, & Præses surgens dicat: *Emitte Spiritum tuum, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus, qui corda fidelium, &c.* Ex *decreto Capituli Murciensis*.

Tam in hac electione, quàm in electione Provincialis non tenentur electores petere schedulas á Secretario Capituli ad suffragandum, sed possunt ipsi facere schedulas arbitrio suo, postquam congregati fuerint in Capitulo ad eligendum, aut illas ex suis cubiculis factas afferre, vel vt ipsi voluerint, afferendo tantummodo schedulam eius personæ, in cuius favorem votum dederint, & vbi hoc pacto vota præstita fuerint, electus debeat habere supra medietatem votorum alia duo vota, si electus est Capitularis *Ex decreto Bilbilitano à Clemente VIII. confirmato apud Bull. fol. 201. col. 1.*

In iuramento à Generali electo post electionem, iuxta nostras Constitutiones præstando, debet addi: & iurare tenetur se observaturum capita concordiæ initæ

 cum

cum Familia Discalceata, circa ministeriū Redemptionis, prout in ea continentur. *Ex decreto Capituli Burtinensis in Capitulo Murciensi confirmato.*

Magister Generalis post eius electionem, vsque dum à Sede Apostolica confirmationem sui officij obtineat, eo fungatur, non tantum sub titulo Vicarij Generalis, vt in Constitutionibus sancitur, sed etiam Generalis electi. *Ex consuetudine in hoc Capitulo firmata.*

Illa clausula huius Capitis: *Et licet Vicarius Generalis, &c.* In capite secundo huius distinctionis, vt ibidem notabimus, ponenda est. Et etiam est delenda clausula immediata quæ incipit: *Quod si Electorum, &c.* vsque ad *eligendi Magistrum*, inclusivè, nam ibidem est posita, *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT V.

De officio Magistri Generalis.

MAgister Generalis in toto Ordine generalem habeat potestatem: illam (inquam) quæ iure Canonico, vel Civili superioribus cuiuslibet Religionis est concessa, & in posterum concedenda ad omnia, ad quæ ex nostris Constitutionibus non limitatur, curamque præcipuam totius Ordinis, & administrationem gerat. Vnde per se solum eam potestatem in toto Ordine habeat, quam Provincialis in sua Provincia, & Commendator in sua Commenda: insuper eam, quæ ad rationem sui officij ex iure communi, ex privilegio, vel ex nostris Constitutionibus ad eum expectat. Verumtamen in inferiorum Prælatorum ministerio non se immisceat, nisi, vel ob eorundem defectum, vel cum prudentia, & quando ratio id postulaverit; semper tamen inferiores illi parere teneantur. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Poterit Magiſter præſidere in Capitulis Provincialibus per ſe ipſum, vel per Vicarium ſuum idoneum, & prudentem ad hoc ſpecialiter deputatum, iuxta id, quod infra cap. 14. ſtatuitur, & primam vocem habebit, tam ipſe, quam eius Vicarius in omnibus electionibus, & Diffinitorijs vſque ad abſolutionem Capituli. *Sic declaravit Capitulum Murcienſe ex iure noſtrarum conſtitutionum.*

Tempore electionis poterit Magiſter Generalis convocare ad celebrationem Capituli Provincialis omnes Vocales illius Provinciæ, literis convocatorijs, eas mittendo immediatè Provinciali, vel Vicario Provinciali illius Provinciæ, vt eas continuò manifeſtet, & notas faciat in Capitulo pleno Conventus, vbi præſens extiterit, deinde eas ad omnes alios ſuis conſuetis itinerarijs mittat. Quod ſi Magiſter Generalis huiuſmodi litteras convocatorias opportuno tempore (duobus inquam menſibus immediatis ante complementum triennij) non miſerit, Provincialis, & eius defectu, Vicarius Provincialis ſuis literis ad celebrationem dicti Capituli convocare poterint: eadem facultas Vicario Magiſtri in Præſidem Capituli nominato, conceditur. *Ex decreto Capituli Murcienſis.*

Magiſter Generalis in concurrentia Capitulorum Provincialium, poteſt quodlibet eorum per quadraginta dies á complemento triennij, quocumque anni tempore anteponere, vel poſtponere, vt vni, & alteri intereſſe poſſit. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 201. col. 1. Et nova declaratione S. C. R. ſub die 12. Decembris de anno 1645.* Quæ facultas etiam conceditur Magiſtro, quamvis non ſit concurrentia Capitulorum, ſed vnicum tantum celebrandum, ſi aliás expedire viſum fuerit. *Ex decreto Capituli Murcienſis.*

Ad Magiſtrum pertinebit in electionibus, ſi præſens

 fuerit

fuerit, Electores dirigere modestè, charitativè, & Religiosè eos monendo, hortando, & instruendo, imò etiam suaviter suadendo ad eligendam personam digniorem, & magis idoneam Capituli, ipsius virtutes veras, & regimini necessarias, ostendendo, & quando absfuerit per literas ad Capitulum, & Electores missas, dirigendo. *Ex instructione officiorum in nostris Constitutionibus de officio Magistri circa Provincias, & declaratione Capituli Murciensis.*

Licet ex vi nostrarum Constitutionum in hoc capite Magister Generalis possit dispensare cum fratribus in nonnullis rebus: atque etiam ex decreto Pauli Quinti apud Bargas, fol. 502. aliquas gratias, & exemptiones (absque tamen aliorum præiudicio) Religiosis concedere: nihilominus tamē, vt cessent multa inconvenientia, quę ipsa experientia, magna esse, comprobavit, Magistro Generali in posterum, illas concedere, vel cum fratribus dispensare, minimè licebit. Poterit tamen Magister declarare, aliquos frui exemptionibus (quas reales appellat hoc sanctum Diffinitorium) illis scilicet, quibus ratione officij, gradus, & antiquitatis quadraginta annorum in Religione gaudere possunt. *Ex Clemente VIII. apud Bull. fol. 200. Et ex Vrbano VIII. fol. 249.* Sic exposuit hoc sanctū Diffinitorium nostrā Constitutionem.

Bullam concordiæ initæ inter Magistrum Generalem, & Provinciam Castellæ irritam esse, nullius valoris, & anullatam á Commissarijs Apostolicis Præsidentib⁹ in generali Capitulo de Guadalajara, de anno 1574. de consensu totius Capituli generalis, & Diffinitorij, facta renuntiatione prædicti iuris, ratione scripturæ, & Bullæ, eo meliori modo, via, & forma qua potuit, atque esse extinctam, & de medio sublatam, declaravit Capitulum Murciense. *Ex Chronicis Religionis Fratris Bernardi de Bargas, tom. 2. cap. 3. §. 2.*

De-

Devoluitur in Magiſtrum Generalem ius eligendi Provincialem, caſu quo Electores in Capitulo congregati infra tres dies a primo electionis incluſivè de perſona eligenda non convenerint, vel electio non fuerit facta iuxta ſacros Canones, conſtitutiones, & decreta Ordinis, iureque caſſanda venerit; tunc namque Magiſter eliget Provincialem. In cæteris verò electionibus, forma noſtrarum Conſtitutionum obſervari debet. *Ex decreto Capituli Murcienſis ab hoc emmendato.*

Qui fuerunt Magiſtri Generales, habeant immediationem Magiſtro ſucceſſori, & locum immediatum Prælatis, & in omnibus congregationibus, tam Generalibus, quàm Provincialibus cuiuſcumque Provinciæ, in qua tempore convocationis interfuerint, vocem, & votum electivum, & deciſivum habeant, ſicut quilibet ex Diffinitoribus, & Electoribus dictæ Congregationis; ſimiliterque locum immediatum Præſidi. *Ex decreto Capituli Matritenſis apud lib. maio. fol. 66.*

Magiſter Generalis tenetur confirmare electionem Vicarij Generalis recolectionis (ſi fuerit canonica) intra quindecim dies á primo præſentationis illius, Patreſque Recolecti infra tres menſes á die electionis, tenentur illam præſentare Magiſtro Generali Ordinis pro eius confirmatione obtinenda. *Ex concordia inter vtramque Familiam à Gregorio XV. confirmata, ſub die 26. Novembris de anno 1621.*

Magiſter Generalis habet generalem adminiſtrationem in bonis ad Captivorum redemptionem pertinentibus; in eaque eius directioni, & iuriſdictioni Familia Diſcalceata ſubijcitur: modificatur tamen hæc poteſtas, & iuriſdictio, certis quibuſdam capitulis concordiæ inter vtramque Familiam, pro ſuaviori moderamine, initæ. *Ex Vrbano VIII. apud Bull. fol. 257. & Bulla ſpeciali Innocentij X.*

CA-

De officio Vicarij Generalis Indiarum.

HOC caput ex decreto huius Capituli Hoscensis nostris constitutionibus est addendũ, & illud desumpsit ex cap. 5. secundæ distinctionis nostrarum constitutionum, & ita disposuit.

Magister Generalis, postquam electus fuerit, ex decreto, & iudicio Diffinitorum in Capitulo generali, duos Vicarios Generales nominabit pro Provincijs Indiarum. Alterum quidem, qui visitet Provincias del Perù: alterum verò Novam Hispaniam, & Guatimalam, cum Insulis, & locis adiacentibus, eam autem nominationem faciat (vt dictum est) de consensu Diffinitorum. Et prædictos Vicarios Generales, non nisi de Provincijs, & fratribus Castellæ, & Bethicæ instituere, aut nominare poterit, & non ex alijs nationibus; quod tamen sic fiat, vt vterque Vicarius nullo modo sit ex vna, & eadem illarum Provinciarum, sed ita quidem, quod si vnus sit ex Provincia Castellæ, alter sit ex Provincia Bethicæ; hac etiam addita forma, & conditione, quod si Vicarius Generalis del Perù fuerit ex Provincia Castellæ, tunc Vicarius Generalis immediatè subsequens debeat esse ex Provincia Bethicæ. Et nullo modo, nulloque tempore, duo Vicarij Generales del Perù, neque Novæ Hispanię sibi immediatè ex eadem Provincia succedant, sed in omnibus nominationibus alternativè procedatur. Tales autem omnes, & singuli Vicarij Generales sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, privationisq; activæ, & passivæ vocis in perpetuum, Magistro Ordinis in Capitulo generali omnium bonorum, quæ durante officio receperint, tam ex vestuarijs Magistri, quàm quovis alio titulo, vel prætextu, computum, & rationem planè

planè reddent. Et ſub eadem pœna interdicitur, ne tales Vicarij Generales Indiarum faciant, aut permittant ſe eligi in Provinciales earundem Provinciarum, nec ſi eligantur, conſentiant. Quod ſi contrarium fiat, ex nunc pro tunc talem electionem irritam iudicamus; & electus in Capitulo generali á Magiſtro Generali, & Diffinitorio puniatur. Præfati autem omnes, & ſinguli Indiarum Vicarij Generales poteſtatem, & vices Generalis habebunt, donec fuerit voluntas eiuſdem Magiſtri Generalis. Ad quos iure præſentium conſtitutionum pertinebit viſitare, & reformare prædictas Indiarum Provincias, ordinando eas, & ad debitam obſervantiam reducendo: iuxta regulam, & conſtitutiones Ordinis noſtri, puniendo, corrigendo, & caſtigando exceſſus, tranſgreſſiones, & delicta fratrum. Habebuntque pariter poteſtatem confirmandi, vel caſſandi, vel anullandi electiones Provincialium, quæ in prædictis Indiarum Provincijs celebrantur. *Ex cap. 5. noſtrarum Conſtitutionum.*

Vicarij Generales Indiarum, qui ſuum officium per aliquod tempus in illis Provincijs exercuerint, ab illis recedere minimè audeant, abſque ſpeciali licentia Magiſtri Generalis, quam ipſe non concedat, donec illi ſucceſſoribus rationem exactam officiorum, & geſtorum reddiderint; teneanturque ſubditi illis parere, & obedire, vſque dum alij in officio ſucceſſerint. Si qui autem, nõ præcedente dicta officij ratione, receſiſſe reperti fuerint, non poſſint ad aliquod Religionis officium, vel munus aſummi, donec, reddita ratione villicationis, á Magiſtro Generali abſolvantur: *Ex decreto Capituli Toletani ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 248. col. 2.*

Vicarij Generales Indiarum, iuſtis de cauſis, poſſunt á Magiſtro Ordinis ab officio amoveri: eorumque regimen debet eſſe iuxta noſtrarum ſacrarum Conſtitutio-

num

num tenorẽ,qui nequeunt nominare Commissarios Generales in eorum absentia, præcipuè in illis Provincijs, in quibus saltim ad vnum Conventum pervenerint, sed liberum relinquant regimen Patribus Provincialibus, nisi ob casum,& gravem causam ad visitationes moventem,quam per propriam personã facere nequeat.Quod si secus fiant prædictæ nominationes,nullius valoris, aut roboris esse declaramus *Ex Capitulo Toletano decreto 3. & 13.*

Et si tales Vicarij Generales possint confirmare , & anullare Capitula Provincialia,& Provincialiũ electiones, minimè tamen poterunt eas anullare, similiterque nec suspendere, vel privare Provinciales valebunt, nisi prius legitima causa iuridice acta, & conclusa. Et in casu quo pœna suspẽsionis debeat imponi, prius duos Prælatos,seu Diffinitores consulere tenentur : ad privationem verò quatuor.Hac forma sententia producta à Vicario Generali,& quatuor Diffinitoribus,habeat effectũ executivum, qualibet appellatione interposita , & cum eisdem Diffinitoribus, quorum consensu, Provincialem privaverit, vel suspenderit,Vicarium eligat Provincialem, ne Provincia maneat orbata gubernio. *Ex decreto Capituli Toletani,num.8.&.9.*

Deficiente Provinciali, absque nominatione Vicarij Provincialis, non poterunt huiusmodi Vicarij Generales Indiarũ nominare Vacarium Provincialem; sed succedere debet in officio Commendator domus,vbi celebrandum est Provinciale Capitulum immediatè futurũ, & suo ordine Diffinitores. *Ex decreto Cap.Murciensis.*

Vicarij Generales Indiarum ratione sui officij habent ius convocandi ad celebrationemCapituli Provincialis, in eoq; præsidendi. Habent similiter suffragium in omnibus electionibus,& Diffinitorijs intra Capitulum. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Vica-

Vicarij Generales non possunt vocare Religiosos doctrinarios ad visitationem extra suam doctrinam; nec ipsi ita vocati tenentur adire, sed in eisdem doctrinis debent Vicarij Generales, vel eorum Visitatores ab ipsis rationem petere. Neque extra prædictam visitationem possunt doctrinarios privare, sed hoc fiat præcedente causa legitima, qua iuxta nostras Constitutiones privantur Commendatores suis Cõmendis. Et nũquã doctrinarij à sua doctrina decedant, vsquedum successor advenerit. *Ex decreto Capituli Toletani, n. 17. & 18.*

CAPVT VII.

De nominatione, & officio Procuratoris generalis in Romana Curia.

HOC *caput ex decreto huius Capituli Hoscensis nostris Constitutionibus etiam est addendum, & est desumptum ex cap. 13. distinct. 2. & in hanc formam dispositum.*

Statuimus, & ordinamus, quod Generalis Magister, & Capitulum, cum simul convenerint, eligant, & nominent in Procuratorem Ordinis in Curia Romana Religiosum fratrem optimè institutum, qui causas, & negotia Ordinis, quæ sese Romæ obtulerint, tractet, & peragat. Qui generalis Procurator iurisdictionem habeat, & commissionem á Generali, & Capitulo, ad comprehendendum, puniendum, & corrigendum omnes illos fratres, qui sine licentia Generalis in scripto in prædicta Romana Curia reperti fuerint. Prædictæ verò licentiæ accedendi ad Curiam Romanam, nusquam alicui concedantur sine vrgentissima, & extraordinaria causa. Ordo autem noster provideat de moderatis expensis in sustẽtationem prædicti Procuratoris. Generalis autem Ma-

 gister

gister non possit Procuratorium revocare prædicto Procuratori, nisi in Capitulo,& nisi propter delicta, quibus iure repulsam à prædicta procuratione, mereatur. *Ex nostris Constitutionibus distinct. 2. cap. 13. de statu omnium Provinciarum.*

Si verò post factam nominationem,tale officium Procuratoris,per mortem,renũtiationem, privationem,vel alia legitima causa vacaverit, ius nominandi de novo, penes Magistrum Ordinis maneat. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Postquam verò per quinquennium strenuè, & cum approbatione communi, in officio Procuratoris se gesserit, si antea Præsentatus erat, sit Magister, & si fuerit Magister, vocem habeat in Capitulo Generali proximè immediatè futuro. *Ex decreto Tolet. ab Urbano VIII. confirmato, apud Bullar. fol. 249. col. 1.*

Præterea declaramus, quòd talis Procurator Generalis, qui ad Magisterium ascenderit, optionem habeat loci inter Magistros suæ Provinciæ, cum præcedentia ad omnes, qui in ea ad talem gradum fuerint promoti post ipsum, si alias habeat conditiones, & requisita iuxta constitutiones,& decreta Apostolica ad Magisterium de iustitia obtinendum: quod si prædictis qualitatibus fuerit destitutus locum habeat immediatum omnibus Magistris del numero. Deniq; si fuerit Magister,& iuxta superius dicta suffragatus fuerit in Capitulo generali, gratijs,& exemptionibus eorum qui fuerunt Provinciales,gaudebit, absq; optione tamen præcedentiæ ad eos, qui postea fuerint Provinciales. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Quando Magister Generalis fuerit ex Corona Castellæ, & habuerit Romæ Procuratorem, & Vicarium Generalem ex eadem Corona,poterit Provincia Aragoniæ (si voluerit) curam suorum negotiorum dare alteri Pro-

cura-

curatori, suis expensis, Religioso suæ Provinciæ, nominato per suum Capitulum Provinciale, aut per Provincialem, & Diffinitores ipsius. Id ipsum facere poterit Provincia Castellæ, quando Magister Generalis fuerit ex Corona Aragoniæ, & nominaverit Romæ Procuratorem generalem suæ Coronæ. Talis autem Procurator particularis Provinciæ in rebus Religionis, & obedientiæ sit subditus Commendatori Romæ ipsius Ordinis, vti Prælato ordinario, & Procuratori, ac Vicario Generali, vti talibus; observatis in omnibus Ordinis constitutionibus. *Ex decreto Calatayubij à Clemente VIII. confirmato, apud Bull. fol. 199. col. 4.*

Præter Procuratorem generalem in Curia Romana, eàdem forma nominetur Procurator generalis Matritensis, ad negotia, quæ in Regia Curia sese obtulerint peragenda. *Ex consuetudine in hoc Capitulo firmata.*

CAPVT VIII.

Secundum addita, & sextum ordine Constitutionum, de Capitulo Provinciali.

LIcet Capitulum Provinciale tertio quoque anno fieri debeat in qualibet Provincia, si tempore, quo Magistratus Ordinis vacaverit, expleatur triennium, protrahi debet celebratio Capituli Provincialis, vsque ad electionẽ novi Magistri, & Religio in eodem statu perseverare, sicut fuerat ante vacationem Magistratus. *Ex decreto Guadalfaxarensis de anno 1618. à Gregorio XV. confirmato apud Bullar. fol. 229.* Dilatio verò, & translatio Capituli Provincialis debet esse vsque ad Dominicam *Cantate* proximè immediatè futuram post Capituli Generalis celebrationem, & non ante, nec vltra. *Ex decreto Capituli Hoscensis.*

 Trien-

Triennium officij Provincialis computari debet secũdum annos Ecclesiasticos, non iuxta solares; ita vt regulariter celebretur Capitulum, & electio novi Provincialis Sabbatho ante Dominicam, in qua per triennium antè fuerat celebratum Capitulum. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Si per duos menses ante complementum triennij non fuerint literæ convocatoriæ Magistri Generalis notificatæ Provinciali Provinciæ, in qua celebrandum est Capitulum, poterit Provincialis literas suas convocatorias expedire, secus tamen si à Magistro fuerint expeditæ. Quod si nullæ fuerint notoriȩ factæ Vocalibus, sciant se esse convocatos ad celebrationem Capituli, die quo iuxta dicta supra expletur triennium. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

In Capitulo Provinciali primam vocem habeat Magister Generalis, vel ille, qui eius loco præsidet. Præter assignatos à constitutione, etiam habent vocem in Capitulo Diffinitores Provinciæ, dummodo sint per triginta annos à professione antiqui, & Procuratores generales cuiuslibet Provinciæ. *Ex decretis diversorum Capitulorum Generalium, in Capitulo Murciensi laudatis, & approbatis.*

Vbi in hoc capite dicitur, quod Præsentati debent esse de licẽtia Ordinis Bachalaurei in aliqua Vniversitate approbata, vt possint habere vocem in Capitulo, sufficit, si talem gradum Bachalaureatus suscipiant à Magistro Ordinis, vel à Provinciali suæ Provinciæ, obtententa à sanctissimo facultate impertiendi talem gradum, iuxta ea, quæ infra capite 25. notantur. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc confirmato, & aucto.*

In fine huius capitis, vbi dicitur: *Provincialis nominet, &c. In Vicarium Capituli*, dici debet: *Præses Capituli nominet, &c.* Idemque servandum est in subsequentibus

tibus capitulis, vbi agitur de Provinciali, tanquam Præsidenti: cum possit esse Præses Magister, vel eius Vicarius, & sic tollitur æquivocatio. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT IX.

Secundum addita, & septimum ordine Constitutionis de electione Provincialis.

OMnes vocales conveniant in domo assignata celebrationi Capituli, in vigilia vigiliæ Dominicæ *Cantate*, vel alterius Dominicæ á convocatore Capituli designatæ (semper enim electiones in Sabbatho fieri debēt) nullusque domum capitularem ingrediatur, vsque dum ad sonitum cymbali omnes vocentur. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Eodem die, vespertina sessione, omnes congregentur, & á Præside Capituli aliqua brevi, & eleganti oratione, finis, ad quem convenerint, proponatur, simulque eos ad electionem novi Provincialis exhortetur. Deinde referat omnes fratres per triennium defunctos in illa Provincia: & statim surgat, & dicatur: *De profundis, &c.* vt habetur in Constitutionibus. Deinde ad qualificationē, seu examen eorum, qui in tali electione vocem, & suffragium habent, procedatur; fiatque legitima, & canonica regulatio omniū iuxta formam Constitutionum. Die sequenti ad Auroram, omnes Vocales simul ingrediātur capitulum, & servetur forma electionis prout in Constitutionibus. *Ex consuetudine laudata, & approbata in Capitulo Murciensi.*

Vocales non tenentur petere schedulas á Secretario. Et si electus fuerit de corpore Capituli, vltra medietatem suffragiorum, debet habere alia duo vota, vt supra

de-

de electione Magistri ex Clemente VIII. notavimus. Si autem numerus suffragiorum sit impar, electio erit valida, & canonica, si electus vltra medietatem habeat suffragium, & dimidium. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Electores Capituli Provincialis intra triduum tenentur convenire in persona eligenda, & legitamè, ac canonicè eligere Provincialem, aliàs devolvitur ius ad Magistrum Generalem. In alijs verò electionibus, omnes præstent suffragia iuxta formam nostrarum constitutionum. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc moderato.*

Si persona electa ad Provincialatum fuerit absens à Provincia, poterit Magister Generalis de consilio Diffinitorum nominare Vicarium Provincialem ad regimen Provinciæ, cum omnimoda facultate á nostris Constitutionibus Vicarijs Provincialibus concessa, quem Provincialis electus revocare non poterit, nec de novo alterum nominare, vsq; dum suam Provinciam ingrediatur. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Post electionem Provincialis, & iuramentum ab ipso præstitum, omnes è Capitulo processionaliter egrediantur, & ad Ecclesiam procedant cantando Hymnum *Te Deum, &c.* vbi prostratus Provincialis electus accipiat benedictionem á Præside, iuxta formam superius capite quarto de Generali electo statutam. *Ex consuetudine à Capitulo Generali Murciensi firmata.*

Magister Generalis tenetur confirmare electionem Provincialis canonicè, & iuxta formam nostrarum constitutionum factam; quod si renuerit illam confirmare, causas, & defectus canonicos erga electionem, vel personam electam, manifestare debet. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Provincia Galliæ, & Italiæ infra tempus quatuor mẽsium, tenentur præsentare coram Magistro Generali

electio-

electionem sui Provincialis; quod si infra dictum tempus eam non præsentaverint, electio sit irrita, & nulla. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Nullus Provincialis, sub præcepto formali obedietiæ, & pœnis ad arbitrium Magistri Generalis (quamvis sit Magister) possit subscribi Magister Provincialis, nec vti hoc titulo in subscriptionibus literarum, & alijs provisionibus, & patentibus; sed solum hoc possit facere Magister Generalis. *Ex decreto Vallisoletano à Clemente VIII. apud Bull. fol. 204.*

Mortuo Provinciali, licet dictus Provincialis substituerit, & nominaverit Vicarium Provincialem, poterit Magister Generalis nominare pro illa Provincia Vicarium Generalem, qui in ea exerceat iurisdictionem, quã exerceret ipse Magister Generalis, si in ea existeret. *Ex decreto Calatayubij à Clemente VIII. confirmato apud Bull fol. 201.*

Provincialis, per tempus duorum mensium ante celebrationem Capituli Provincialis, non potest privare Commendatores á sua Commenda, licet possit eos ab officio suspendere vsque ad celebrationem Capituli, in quo votum, & suffragium habebunt. *Ex decreto Capituli intermedij Matritensis.*

Etsi Provincialis iure constitutionum in aliquibus casibus possit nominare Vicarium Provincialem, in hoc tamen iure, & facultate non succedit Vicarius Provincialis, etiamsi sit in Capite; sed casu quo morte, vel alio titulo defecerit, in officio Vicarij Provincialis succedũt, qui iure nostrarum constitutionum sunt vocati, Provincialatu vacante, absque substitutione Vicarij Provincialis. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Si Provincialis mori contingat, absque eo quod nominet Vicarium Provincialem in sui officij successorem, tunc temporis sit in libera potestate Magistri Generalis

confir-

confirmare in Vicarium Provincialem talis Provinciæ Commendatorem domus futuri Capituli Provincialis; vel si maluerit alium ex Patribus ad dictum officium ab ipsis Constitutionibus vocatis, vel quemvis alium ex tota ipsa Provincia, pro sua voluntate, prout melius iudicaverit. Et in hoc sensu sunt legitimè intelligenda verba Constitutionis in hoc capite: *Vel in eo casu Magister provideat in illa Provincia quisquis debeat esse Vicarius Provincialis. Ex declaratione Capituli Bilbilitani à Clemente VIII, confirmata apud Bargas, pag. 503.*

In qua facultate nominandi Vicarium Provincialem, minimè succedit Vicarius Generalis totius Religionis, cum illi non liceat Electores mutare, aut novos eligere ad Capitulum Generale. Quod si tempore sui gubernij Provincialis mori contingat, absque nominatione Vicarij Provincialis, sit eius successor Commendator domus, vbi celebrandum est Capitulum Provinciale immediatè futurum, & suo ordine Diffinitores, iuxta nostras Constitutiones. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Si Provincialatus vacaverit per renuntiationem, non poterit Provincialis renuntians, successorem Vicarium Provincialē nominare; sed succedant in tali officio á Cōstitutione nominati, eo ordine, quo decreto antecedenti est exposita, & declarata constitutio. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Si Provincialis fuerit impeditus bello, peste, vel alio titulo, taliter quod per se, neque maiorem partem Provinciæ gubernet, neque pro illa Vicarium Provincialem instituerit, qui eius loco moderamini Provinciæ invigilet, poterit Magister Vicarium Provincialem nominare, cum omnimoda facultate iuxta nostras Constitutiones, vsque dum Provincialis gubernio sit expeditus, vel Vicarium suum instituat. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Licet

Licet Provincialis infirmitate, absentia, vel alio titulo impeditus, Vicarium Provincialem iuxta facultatem nostrarum constitutionum instituerit, non intelligatur, talem Vicarium morte succedere in officio, nisi id specialiter in literis patentibus declaretur, sed tunc temporis succedant nominati á Constitutionibus, veluti si nullum Vicarium, & successorem nominasset. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Vicario Provinciali in Capite, omninò impedito, temporeque ad celebrationem Capituli generalis instante, eius loco vocem habebit in electione Magistri Generalis (ne sua Provincia hoc suffragio orbetur) qui iure nostrarum Constitutionum ad officium Vicarij Provincialis est vocatus, nempe Commendator domus, vbi celebrandum est Capitulum Provinciale proximè futurum, vel Diffinitores Provinciæ, servato ordine antiquitatis. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

CAPVT X.

Secundum addita, & octavum ordine Constitutionum de prima die Capituli Provincialis.

VBi in hoc capite dicitur: *Fiat electio duorum sociorum ipsius Provincialis*, dicatur: *Quatuor sociorum*, duorum inquam Diffinitorum, & duorum Electorum Generalium, dummodo non fuerint eodem titulo electi in præcedenti Capitulo; poterunt tamen, qui fuerunt Diffinitores, eligi in Electores, & è contra. *Ex consuetudine in Capitulo Murciensi laudata, & approbata.*

Si quis Diffinitor, aut Elector Generalis infirmari cõtigerit, aut sit aliqua causa legitima impeditus, instante tempore celebrationis Capituli Generalis, poterit Provincialis, simul cum Diffinitoribus Provinciæ, alterum

 illius

illius loco eligere, & substituere, ordine supra cap. 3. huius distinctionis statuto, etiam si legitimè impeditus titulum suum renunciare noluerit, absque præiudicio tamen iuris eius, si forte impedimentum cessaverit, & Capitulo interfuerit, tunc enim iure suo gaudebit, ac electioni suffragabitur, etiam si alter eius loco electus fuerit. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Si Diffinitor Provinciæ ab illa absfuerit, & Diffinitorium pro emergentibus casibus sit congregandum, poterit Provincialis simul cum alijs Diffinitoribus, loco absentis alium eligere, qui vocē in Diffinitorijs habeat. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Si quæ debita in Conventu tempore Capituli remanserint non soluta, de quibus ab ipso Commendatore, & depositarijs ratio ad Capitulum non transmittatur, illa debita Commendator, & depositarij non exprimentes irrelaxabiliter exolvant. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bull. fol. 247. col. 4.*

CAPVT XI.

Secundum addita, & nonum ordine constitutionum de secunda die Capituli Provincialis.

IN Diffinitorio Capituli Provincialis, conveniant Præsidens Capituli, Provincialis electus, & Provincialis, vel Vicarius Provincialis absolutus, & quatuor Diffinitores Provinciæ: qui omnes suffragium decisivum habent, tam in electionibus Commendatorum, quàm in decretis, quæ pro bono regiminis, & Provinciæ reformatione statuuntur: & Provincialis absolutus, vel Vicarius Provincialis, habebit locum immediatum à dextris Præsidentis in omnibus Congregationibus, vsque ad absolutionem Capituli: *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Pro-

Provincialis absolutus, vel eius Vicarius, seu Visitator, manifestare debet Diffinitorio, quæ ex suis visitationibus reformatione digna repererit, & notaverit, vt preserventur, vel corrigantur, prout convenientius visum fuerit: causasque omnes, informationes, & processus in suo triennio formatos, teneatur successori tradere, minimèque comburantur, nisi eorũ fratrum, qui è vita iam decesserint. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

In fine huius capitis, vbi dicitur: *Provincialis de consilio Diffinitorum, &c.* addatur: *Præsidens Capituli de consilio Provincialis electi, & absoluti, ac Diffinitorum, &c.* deleaturque *Provincialis*, iuxta ea, quæ supra cap. 7. notantur. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XII.

Secundum addita, & decimum ordine constitutionum de tertia die Capituli Provincialis.

VBi in hoc capite dicitur: *Postea solus Provincialis, &c.* eius loco sic apponatur: *Postea solus Præsidens Capituli cum Provinciali electo, Provinciali absoluto, & Diffinitoribus, &c.* Consequenter ad ea, quæ superius sunt notata. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Nullus diffinitor Capituli Provincialis, sub pœna privationis officiorum, durante suo officio, poterit esse Cõmendator: neque qui per triennium fuerit Prælatus in vno Conventu, potest eligi in Commendatorem eiusdẽ domus in triennio immediatè sequenti, benè tamen alterius, si reperiatur idoneus. *Ex decreto Vallisoletano à Clemente VIII. confirmato, apud Bull. fol. 205. col. 3.*

Si in his, quæ à Diffinitorio decernuntur suffragia sint divisa in partes æquales, prævalebit pars, cum qua cõcordaverit Præses: quod etiam est observandum, quoties

ties in decursu triennij ad aliquid decernendum Diffinitores convenerint. In electionibus verò ius nostrarum Constitutionum, vt ritè, & canonicè fiant, servari debet. Si tamen Diffinitores congregati infra tres dies (á prima electionis inclusivè) de persona eligenda non convenerint, devoluitur in Magistrum Generalem ius eligendi, sicut in electione Provincialis. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc moderato.*

CAPVT XIII.

Secundum addita, & vndecimum ordine Constitutionum, de quarta die, & absolutione Capituli Provincialis.

VBi dicitur in principio huius capitis: *Quarta die conveniant omnes in Capitulo*, addatur: Ibique á Præside Capituli fiat oratio brevis, spiritualis, & devota, qua Prelatos electos in munere sui officij exequẽdo instruat, dirigat, & moneat. Deinde á Secretario Capituli coram omnibus legantur decreta, & statuta á Diffinitorio, pro maiori reformatione eiusdem Provinciæ: vlterius etiam legatur edictum sanctæ Inquisitionis. Postea stans Præses Capituli, alijs flexis genib⁹, &c. prout in Constitutionibus. *Ex consuetudine in Capitulo Murciensi laudata, & approbata.*

CAPVT XIV.

Secundum addita, & duodecimum ordine Constitutionum, de officio Provincialis.

PRovincialis in Cõventuũ visitationibus, licentias cõfessiones audiendi confessarijs non graduatis suspendat, donec novo examine approbentur. *Ex decreto Toleta-*

letano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bull. fol. 246. col. 4.

Nulli Religioso licentiam sacros Ordines suscipiendi concedat, nisi elapsis à professione tribus annis. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bull. fol. 247. col. 2.* Neque laicum aliquem possit ad statum clericalem promovere, neque licentias, vt ad minores, vel sacros Ordines promoveatur, valeat concedere, inconsulta sacra Congregatione regularium, & sine illius expressa approbatione, sub pœna excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ, necnon officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda: in quo etiam taxatur potestas Magistro Generali, sub eisdem pœnis. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bull. fol. 253.*

Licet Provincialis per absentiam, infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum, possit Vicarium Provincialem nominare ad regimen Provinciæ, durantibus supradictis impedimentis, non sufficiet hæc nominatio, vt per mortem in officio Vicarij Provincialis succedat, nisi id specialiter in literis patentibus exprimatur; sed tunc temporis succedent in officio Vicarij Prouincialis à Constitutione cap. 7. hui⁹ distinctionis vocati, eo ordine, quo ibidem est notatum. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Non licet Provinciali expedito ad gubernationem suæ Provinciæ nominare Vicarium Provincialem, nec mittere illum ad suffragandum in Capitulo Generali, nisi taliter sit omninò, vt gubernationem suæ Provinciæ non administret. *Ita decrevit Capitulum Murciense iuxta verba constitutionis, tam in hoc capite, dum Prælatorum multitudinem evitare prætendit, quam ex capite 3. huius distinctionis, dum dicit: Si Provincialis fuerit omninò impeditus.*

Ex

Ex hoc capite esse delendum ab illis verbis: *In Provincia autem Castellæ, &c.* vsque ad illa; *divisa permanserint*, inclusivè, quia iam sunt divisæ Provinciæ Castellæ, & Vandaliæ, *decrevit Capitulum Murciense.*

CAPVT XV.

Secundum addita, & decimumtertium ordine Constitutionum, de statu omnium Provinciarum.

PRæter duodecim Magistros, & vigintiquatuor Præsentatos designatos in hoc capite, in qualibet provincia sint quatuor Præsentaturę pro Prædicatorib⁹, & Cõcionatoribus: duæ statutæ infra cap. 25. & aliæ duæ, *ex decreto Capituli Generalis Guadalfaxarensis de anno 1618. à Paulo V. confirmato, apud librum maiorem, fol. 161.* Et in Capitulo Murciensi designatæ fuere aliæ duæ pro qualibet Provincia, ob multitudinem de illis benemeritorum, ne exiguitas præmij sit causa negligentiæ in ministerio concionandi verbum Dei. Supplicaturque Sanctissimo pro parte totius Diffinitorij, vt pro sua benignitate id concedere, & hoc decretum confirmare dignetur.

Qualibet Provincia in Capitulo Generali habeat quinque Electores, Provincialem scilicet, duos Diffinitores, & duos Electores. *Ex decreto Capituli Matritẽsis apud librum maiorem Religionis, fol. 65. consuetudine firmato.*

Provincia Aragoniæ constituitur ex Monasterijs Regni Aragonum, Cathaloniæ, Navarræ, & Sardiniæ, demptis Conventibus Dertusæ, Tarraconæ, Turolij, & Sarrion, qui simul cum Conventibus Regni Valentiæ, Maioricæ, & Oran, Provinciam Valentiæ constituunt.

Ex

Ex Bulla Clementis VIII. apud Bargas, pag. 416.

In Provincia Aragoniæ, circa electionem Provincialis, servetur alternativa: ita & taliter, quod vna vice Provincialis sit ex Cathalonia, vel Sardinia; & alia vice, Regni Aragoniæ, & Navarræ, dummodo reperiatur persona habilis, & requisita habens ad officium Provincialis exercendum. *Ex eadem Bulla vbi supra pag. 419.*

Hæc alternativa debet pensari, non penes originem, & filiationem naturalem, sed iuxta professionem in Religione: taliter quòd qui professionem emisserit in Cōventibus Aragoniæ, vel Navarræ, poterit esse Provincialis in eius alternativa, etiamsi natione sit Gotholanus, & è contra. *Ita decrevit Capitulum Matritense, apud librum maiorem, fol. 67. ex authoritate Pauli V. illi cōmissa, apud Bullar. fol. 212.*

Et insuper (vt aliqua occasio præiudicij alicui parti penitus evellatur) decernimus, quod nemini faveat adoptatio in Conventibus alicuius partis, vt illius alternativa gaudere possit, sed semper debet pensari penes filiationem ex reali professione emissa. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Redemptores Provinciarum Aragoniæ, & Valentiæ, dum ad redimendos captivos proficiscuntur, simul eant, neque aliqua inter eos sit superioritas; sed vnusquisque suum librum deferat, vbi adnotabit omnia ad redemptionis munus pertinentia, sicut Redemptores Castellæ, & Vandaliæ faciunt. *Ex Clemence VIII. apud Bargas, pag. 419.*

In qualibet Provincia designetur Choronista, qui res gestas, & notatu dignas illius Provinciæ scribat, vt facilius deinde historijs, & Chronicis adnectantur. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bullar. fol. 248.*

Præterea, in qualibet Provincia, expensis ipsius, carceres

ceres designentur, in quibus Religiosi pro qualitate criminum detineantur, & purgentur; vt iuxta decretum sanctissimi Vrbani VIII. eorum incorrigibilitas tentetur: pro expensis verò, tam ad formationem carcerum, quam ad sustentationem delinquentiū, Conventus Provinciæ, iuxta dispositionem Provincialis, contribuant. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Vlterius in qualibet Provincia depositum instituatur, in quo processus, & causæ Religiosorum serventur, simulque formetur liber, in quo notentur causæ, seu processus, ita, vt registrati maneant, quæ omnia Provinciales successoribus suis fideliter conferre tenentur. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Denique circa illa verba: *In qualibet Conventu Ordinis tres sint consiliarij*, debet addi, omnes Patres graduatos esse Consiliarios, & vbi non fuerint tres graduati, Magister noviciorum, Vicarius, & Prædicator Conventus sunt in consilium vocandi. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Ex hoc capite delendum est illud, quod statuitur erga procuratorem generalem in Curia Romana ab illis verbis: *Statuimus etiam, & ordinamus*, vsque ad illa: *repulsam à prædicta procuratione mereatur*, nam illis desumptum est cap. 6. de nominatione, & officio Procuratoris generalis in Curia Romana. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

CAPVT XVI.

Secundum addita, & decimumquartum ordine Constitutionum, de Vicario Magistri.

Vicarius Magister in Capitulo Provinciali præsidet, vsque ad absolutionem Capituli: & in omnibus electio-

ctionibus, ordinationibus,& decretis á Diffinitorio faciendis,vocem, & votum decisivum habebit. *Ita declaravit Capitulum Murciense.*

CAPVT XVII.

Secundum addita, & decimumquintum ordine Constitutionum, de assignatione Commendatorum.

ITa debet incipere hoc caput. *Commendatores domorum Ordinis nostri à Præsidente Capituli, Provinciali electo, & Provinciali absoluto, & quatuor Diffinitoribus designentur, & provideantur, &c. Ex decreto Capituli Murciensis.*

Commendatores, sine Generalis, aut Provincialis licentia, ædificationes, nec incipiant, nec prosequantur. Semperque Choro ad omnes officij horas (vt alijs bono exemplo sint) quavis postposita occupatione, interesse non recussent. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato, apud Bull. fol. 246. col. 4.*

Omninò inhabilis ad omne officium gubernationis habeatur, quicumque Commendator, qui semel Conventum, quem gubernaverit, debitis obstrictum reliquerit. *Ex eodem ibidem fol. 247. col. 4.*

Nullus Commendator sub pœna obedientiæ, & privationis vocis activæ, & passivę per tres annos, possit vllo prætextu solus expendere, vel etiam recipere aliquid ad Monasterium pertinens, sine præsentia, vel scientia depositariorum; quod si depositarij absint, tunc tenetur vocare aliquem ex senioribus. Et sub eisdem pœnis, nequeat Commendator per se ipsum solum facere computum (etiam Procuratore asociatus) sed computus fiant publicè ad sonum campanæ, & necessariò assistere

debent Commendator, Depositarij, Sacrista, Procurator, Expenditor, vel eorum maior pars, qui sub pœna excōmunicationis maioris, non permittant, quod expensæ confussé adnotentur, sed distinctè scribantur, tam res emptæ, quam receptæ, scribendo nomina personarum, á quibus res emptæ, vel receptæ fuerunt. Et sub eisdem pœnis præcipitur depositarijs, ne in libris rationalibus aliquid apponant, vel apponi permittant, seu subscribāt, quod realiter coram ipsis non fuerit numeratum, & consignatum, & in capsa depositi repositum. *Iuxta Bullam Clementis VIII. apud Bullar. fol. 216. num. 19. Et Vrbani VIII. ibidem fol. 246. col. 4.*

Sub pœna excommunicationis maioris, & privationis officij, præcipitur, quod nullo modo possint Commendatores pecunias pro Missis celebrādis largitas consummere: neque è capsa communis depositi extrahere, nisi prius satisfactum fuerit obligationi, & Missæ sint celebratæ. *Ex decretis Clementis VIII. apud Bull. fol. 217. num. 10. & Vrbani VIII. fol. 247.*

Commendatores intra triennium, Religiosis omnibus conventualibus vestuarium præstare teneantur, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in Capitulo proximè futuro, etiam si aliás Magistri, vel Præsentati extiterint. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Commendatores á suis conventibus notabiliter non recedant, sine licentia Superiorum. Si autem iter egerint, hoc Conventus expensis non fiat, nisi quando in vtilitatem ipsius Conventus vergit. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bull. fol. 246. col. 4. Et Clementis VIII. fol. 216. num. 12.*

Commendatores non possunt dare licentiam suis subditis exeundi extra civitatem vltra quatuor dies, & non nisi ex rationabili causa. Sed si casus advenerit ita præcissus, vt non possit facilè haberi recursus ad Provincialem,

lem, & in mora esset periculum; tunc Commendator Monasterij de consilio consiliariorũ licẽtiam concedere possit, transmittendo Provinciali statim copiam causæ, propter quam fuit motus ad eam concedendam. Circa licentiã verò exeundi à Monasterio ad Civitatem conscientia Prælatorum oneratur, ne de facili illas concedãt, sed solũ ex necessitate. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 215. num. 5.*

In hoc capite delẽdũ est ab illis verbis: *Possessiones insuper*, vsq; ad illa: *Aut Diffinitorum in Capitulo*, & addẽdum est: Commendatores observari tenentur Motum proprium Vrbani Octavi circa bona Ecclesię non alienanda. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XVIII.

Secundum addita, & decimumsextum ordine Constitutionum, de electione Prioris Barchinonensis.

NVllus eligatur in Priorem domus Barchinonensis, nisi fuerit Magisterij, vel ad minus Præsentaturæ, gradu insignitus, & electio aliter facta irrita est, & nullius valoris. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 217.* Imò debet esse Præsentatus de lectura. *Ex decreto 3. Capituli Murciensis, de anno 1636.*

Prior Barchinonensis (qui ex iure nostrarum Constitutionum, vacante Generalatu ante expletũ sexennium, in officio Vicarij Generalis, cum plena iurisdictione succedit) si quando dictum Vicariatum adierit, sit solum Præsentatus, ipso facto Magister (ob officij gravitatem, & regimen totius Religionis) habeatur, nominetur, & sit: & inter Magistros suæ Provinciæ locum habeat, si per vndecim annos in lectura Artium, & sacræ Theolo-

giæ, cum approbatione sui Capituli, se exercuerit. Locus autem antiquitatis computari debet á die, qua Vicariatu functus fuit. Si autem Magister fuerit, exemptionibus Provincialis (sicut si prædicto munere functus fuisset) gaudeat, cum præcedentia ad cæteros Magistros suę Provinciæ, & loco immediato omnibus, qui fuerunt Provinciales, vel erunt. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bullar. fol. 248. col. 4.*

CAPVT XIX.

Secundum addita, & decimumseptimum ordine Constitutionum, de Capitulo quotidiano.

HVic capiti nostrarum Constitutionum nihil est addendum.

CAPVT XX.

Secundum addita, & decimumoctavum ordine constitutionum, de Visitatore.

VIsitator diligenter in visitationibus suis curet de bonis, & eleemosynis pro redemtione Captivorum, provideatque, vt in omnibus Conventibus, Procuratores, sive Commissarij Redemptionis, pro ipsis eleemosinis colligendis, sint destinati, religiosi, zelo, & charitate ferventes, & eos, quos negligentes in tali munere repererit, suis officijs privet, & pœnis pro suo arbitrio puniat, aliosque loco ipsorum, substituat. Similiter diligenti cura provideat de alijs officijs, de Vicario, Procuratore, Magistro noviriorum, depositarijs, & Sacrista. *Ex decreto huius Capituli Hoscensis.*

Visitator poterit libros rationales Cōventuum à quocumque

cumque tempore visitare, etiam si super ipsos alia, vel aliæ visitationes præcesserint. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Bull. fol. 247.*

Visitatores in suis visitationibus summopere inquirant, si Commendatores á suis subditis munera aliqua accipiant. Quod si (proh dolor!) eorum aliquos munerum amatores invenerint, eos proprijs Commendis privent. Eandemque similiter faciat inquisitionem Magister Generalis per totum Ordinem, tam circa ipsos Commendatores, quàm circa Provinciales; quod si donorum receptores invenerint (præcipuè ab illis, quibus officiū, vel Commendam contulerint) hos omnes, & singulos, tam Commendatores, quàm Provinciales, proprijs officijs privet, ipsos etiam publicis pœnitentijs, & castigationibus, omni, & summo cum rigore adstringendo, vt illis in correctionem, reliquis verò fratribus sit in exemplum. *Ex decreto Pauli V.*

CAPVT XXI.

Secundum addita, & decimumnonum ordine constitutionis, de appellationibus frustatorijs.

SVb pœna privationis vocis activæ, & passivæ per decenium, & reclusionis per biennium, ac gravioris culpæ præcipitur, quod nullus ex nostris Religiosis possit recusare in suis causis Prælatos legitimos, & ordinarios: nec recusatio sit valida, si illam faciat donec per duos ex Patribus Commendatoribus propinquioribus, vel per duos Patres Diffinitores, videantur causæ recusationis, an fuerint sufficientes; interim autem donec causæ recusationis discutiuntur; Prælati recusati suspendere debēt executionem causarum. *Ex decreto Capitali Matriten-*

sis

tis à Paulo V. confirmato. Et ex decreto huius Capituli Hoscensis.

CAPVT XXII.

Secundum addita, & vigesimum ordine constitutionum, de literis deprecatorijs non impetrandis.

SVb pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & inhabilitatis perpetuæ ad obtinendum quodlibet officium, præcipitur: Ne literæ depræcatoriæ impetrentur á Religiosis per se, vel per interpositam personam directè, vel indirectè ad obtinendum aliquod officium, vel munus nostri Ordinis, neque ad id favoribus personalibus vtantur. *Ex decreto Capituli Matritensis à Paulo V. confirmato.*

CAPVT XXIII.

Secundum addita, & vigesimumprimum ordine constitutionum, de non recipiendis fratribus alienæ professionis.

NVllus Religiosus alienæ professionis, cuiuscumque qualitati, aut conditionis sit; possit ad nostram Religionem admitti, super quo taxatur potestas Magistri Generalis; Sanctissimusque Vrbanus VIII. irritat, & anullat professiones eorum, qui sic recipiuntur. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato.*

Qui semel professionem emisserunt, & ad sæculum qualibet ex causa regressi sunt, vlterius non possunt admitti de novo ad Religionem, nisi de licentia Magistri Generalis. Vel nisi in articulo mortis humiliter habitū, & professionem petierint, non tamen vt inter nos iterum

rum

rum commorentur. *Ex decreto Capituli Murcienſis, ab hoc moderato:*

CAPVT XXIV.

Secundum addita, & vigeſimumſecundum ordine Conſtitutionum, de dignitatibus ſine licentia non recipiendis.

HVIC capiti noſtrarum Conſtitutionum nihil eſt addendum.

CAPVT XXV.

Secundum addita, & vigeſimumquartum ordine Conſtitutionum, de fratribus iter agentibus.

SAcerdotes iter agentes, vbicumque ocaſionem ſacrum celebrandi repererint, non pretermittant. *Ex decreto Vrbani VIII. apud Conſtitutiones fol. 239.*

Nulli Religioſo, cauſa infirmitatis, detur licentia de Monaſterio exeundi ad domos ſeculares; ſuper quo conſcientiæ Prælatorum onerantur. *Ex decreto Capituli Murcienſis.*

Nullus Religioſus, vbi Conventus noſtræ Religionis fuerit, extra clauſtra pernoctare audeat, etiam in domo parentum, vel conſanguineorum. Prælatuſque ad id licentiam non concedat, nec ſibi ſumat, niſi ex obedientia, vel ex cauſa omninò neceſſaria. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 215. Et Vrbani VIII. ibidem fol. 247.*

Præterea nullus audeat ingredi Curiam Regiam, niſi immediatè poſt duodecim horas Commendatori Con-

ventus

ventus Matritensis se præsentaverit. Quod si aliquis cõtrarium fecerit, á Commendatore incarceretur, donec à Provinciali veniam recipiat. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXVI.

Secundum addita, & vigesimumquartum ordine Constitutionum de bonis temporalibus.

SVperiores Ordinis, quacumque authoritate, seu facultate sint prædití, nullo modo possint extrahere bona quæcumque ex vna Provincia ad aliam. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bullar.*

Similiter sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & privationis activæ, & passivæ vocis per sex annos, ac suspensionis exercitij Sacramentorum præcipitur; quod nullus Superiorum Monasterij possit alienare, aut expendere legitimas, aut hæreditates Monasterij, & aliqua quæcumque bona immobilia, seu mobilia pretiosa, sine expressa licentia sanctæ Sedis Apostolicæ. Quod si secus factum fuerit, Superior Conventus delinquens, ipso facto incurrat omnes pœnas à Sanctissimo Vrbano VIII. assignatas. Et subditi illius possint ab eo auferre obedientiam, & illam dare Vicario, vel antiquiori Monasterij. Ac sub eisdem pœnis præcipitur, ne novi census sine licentia Generalis Magistri super bonis Monasterij, fundentur. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 216.*

In quolibet Conventu duo sint Depositarij, seu Clavarij, qui liberè eligantur, & nominentur per suffragia libera, & secreta fratrum eiusdem Conventus, nec aliter possint Commendatores illos designare, seu nominare, sub pœna privationis officij. *Ex decreto Bilbilitano à Cle-*

Clemente VIII. confirmato apud Bullarium, fol. 205. pag. 3.

Nullum negotium, ad bona temporalia Conventuum pertiñens, quod Patribus in Capitulo proponi necessarium sit, eodem die, quo proponitur, resolvatur, sed in diem sequenté eius resolutio differatur. Præcipiturque Patribus Commendatoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis officiorum, ne in contrarium huius decreti quidquam agant, idque observetur, quotiescumque re gravi, cuiuscumque materiæ illa sit, proposita Convētui, aliquis ex fratribus affirmet, se ad illius resolutionem consultatione, & studio indigere. *Ex decreto Toletano à Capitulo Murciensi laudato, & approbato.*

Sub eisdem pœnis præcipitur Commendatoribus, ne supplicas, & petitiones, quæ pro negotijs Conventuum mittuntur ad Superiores subscriptę nominibus Religiosorum, subscribere compellant, quin prius in Capitulo pleno legantur, ibique plublicè ab omnibus subscribantur. Et sub pœna gravioris culpæ per duos menses præcipitur Religiosis, ne aliter prædictas petitiones subscribere audeant, vel præsumant. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXVII.

Secundum addita, & vigesimumquintum ordine Constitutionum, de Magistris, & Præsentatis.

NEmo ad præsentaturam exponi potest, qui non legerit (vltra tres annos Logicæ, ac Philosophiæ) duos alios Theologiæ Scholasticæ assistendo conferentijs, & alijs actibus pro Magistris designandis. Similiter

nullus

nullus ad Magisterium assumi, qui non legerit quotidie vnam lectionem Theologiæ Scholasticæ per spatiũ sex annorum, supra illos quinque ad Præsentaturam requisitos, & quod de serò semper adfuerit conferentijs, aut præsidendo, aut replicãdo, & vnoquoque anno præsiderit alicui actui publico, seu publicis disputationibus. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. col.216.*

Si verò Lectores in Cathedra alicuius Vniversitatis (de licentia tamen Superiorum) fuerint occupati, sive in lectione continua Artium, sive sacræ Theologiæ per spacium quinque, vel vndecim annorum ad Præsentaturam, vel Magisterium, assumi possunt. *Declaravit hoc Capitulum Hoscense, & moderavit decretum Capituli Murciensis.*

Nullus ad lecturam Artium, vel sacræ Theologiæ promoveatur, nisi facta oppositione, in qua per vnam horam de materia sortita, per viginti quatuor horas antecedentes, publicè legat; & per spacium alterius horæ argumentis oppositorum satisfaciat. Quo examine acto, tanquam sufficiens approbetur. Quod si, prædicta probatione omissa, in lectura aliqua se exercuerit, nullius esse valoris ad prædictos gradus obtinendos, declaramus. *Iuxta decretum Toletanum ab Vrbano VIII. confirmatum.*

Hoc examen fieri debet in Materia Lecturæ, ad quam promovetur. Nec sufficit approbatio ad lecturam Artium, vt pro Theologia approbatus quis iudicetur, neque è contra. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Anni supradicti lecturę ad gradus obtinendos, debent esse completi, taliter, quod pro vno anno, non possint admitti duo cursus, sed singuli singulis annis respondere debent, aliàs irritos, & nullos esse. *Declaravit Capitulum Murciense.*

Nullus ad gradum Præsentaturæ exponatur, nisi prius

ad

ad Bachallaureatus gradum in aliqua Vniversitate sit admissus, vel à Magistro Ordinis, aut á Provinciali suæ Provinciæ sit promotus, obtenta facultate á Sanctissimo impertiendi talem gradum, super quo fit supplicatio suæ Sanctitati. *Ex decreto Capituli Murciensis ab hoc aucto, & confirmato.*

Prædicta requisita, ad gradus Præsentaturæ, & Magisterij de numero designata, minimè possunt suppleri per alia merita, exercitia, vel obsequia Religioni exhibita, cuiusvis qualitatis extiterint. Quod si in posterū aliqui tales gradus, absque prædictis requisitis, & conditionibus receperint, ex nunc tanquam irriti, & nullius valoris esse declaravit Capitulum Generale Murciense, in memoriam revocans, & observari præcipiens Bullam Santitatis Pauli V. ad hunc effectum specialiter expeditam. Salva semper authoritate Apostolica in prædictis dispensandi. *Ex libro maiori fol. 129. & 144. Et ex Bargas tom. 2. pag. 501.*

Probationes, seu informationes annorum lecturæ fieri debent immediatè ab ipsis Provincialibus, vel suis Visitatoribus, specialiter in scrutinio secreto visitationum; & publicè per testimonia sanioris partis Conventus. Neque ad hunc effectum commissionem tribuat, nisi tempus celebrationis Capituli instet, & ad tales Conventus Provincialis non perveniat. *Ex decreto Toletano ab Vrbano VIII. confirmato apud Bullarium, fol. 248.*

Probationes, & informationes lecturarum supradicto modo factæ, præsentari tenentur in Capitulo Provinciali coram Diffinitorio, & ibidem examinari, & approbari, quæ approbatione digne repertæ fuerint. In quo examine habeant ius se opponendi Lectores quilibet, qui rationes aliquas in contrarium proponendas habuerint. Præterea huiusmodi approbationes hoc

rigoroso examine á Diffinitorio factæ, non iudicantur sufficientes ad confirmationem, siue Præsentaturæ, siue Magisterij, sed vlterius requiritur, vt ad Diffinitorio intra Capitulum (penes quod est ius, & facultas) ad tales gradus exponantur. Et cum nullus exponi possit, nisi in vacante determinata ex decreto Pauli V. nec cõfirmari, nisi prius sit expositus, poterit Diffinitorium Prouinciale (ne gradus suspensi per longum tempus maneant, ex quo plura prævidentur bono regimini imminentia damna) Magistro Generali facultatem concedere, vt exponat vnum ex approbatis, quem maluerit, quocumque tempore vacatio gradus accidat. *Ita decreuit, ac declarauit hoc Capitulum Hoscense, & moderauit decretum Capituli Murciensis.*

Magister Generalis extra Capitulum Generale loco, & vice talis Capituli, potest confirmare in gradibus Præsentaturæ, & Magisterij quotiescumque aliquem vacare contigerit, quemlibet ex admissis à Capitulo Prouinciali, cum requisitis, & conditionibus supra notatis. *Ex decreto Pauli V. apud Bull. fol. 223.* Et hac eàdem authoritate gaudet Prior Barchinonensis, & quilibet alius, dum officio Vicarij Generalis totius Religionis fungitur. *Iuxta decreta nostrarum Constitutionum.*

Vbi in hoc capite nostrarum Constitutionum dicitur, quod solum sunt admittendi ad Magisterium, qui fuerint in conclusionibus publicis in Capitulo Generali, vel Prouinciali probati, addendum est: *Aut saltim in aliquo nostri Ordinis Collegio, siue Conuentu studiorum. Sic declarauit, & exposuit hoc Diffinitorium Hoscense.*

Præter dictas Præsentaturas de numero in qualibet Prouincia, sunt duæ aliæ pro Prædicatoribus, & Concionatoribus verbi Dei, & additæ sunt aliæ duæ. *Ex de-*

creto

creto Capituli Generalis de Gadalajara, de anno 1618. à Paulo V. confirmato. Et præter illas indicavit expediens hoc Diffinitorium addere alias duas ob multitudinem de illis benemeritorum, ne exiguitas præmij sit causa negligentiæ in ministerio concionandi. Pro quo supplicatur Sanctissimo, vt huiusmodi supplicationibus annuere dignetur. Qui omnes eisdem conditionibus, & requisitis á nostris Constitutionibus, exponi, confirmari, & admitti debent. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXVIII.

Secundum addita, & vigesimumsextum ordine Constitutionum, de forma graduandi Magistrum in Theologia.

STatuimus, & ordinamus, quod Magister Generalis in confirmatione gradus Magisterij designet aliquem Magistrum confirmatum in promotorem ad talem gradum, formâ nostrarum Constitutionum conferendum, á quo promovendus solemniter gradum recipiat intra duos menses post confirmationem: aliter autem maneat excommunicatus, & ipso facto tali gradu privatus. *Ex de creto huius Capituli Hoscensis.*

CAPVT XXIX.

Secundum addita, & vigesimumseptimum ordine Constitutionum, de ordine sedendi.

VT omninò deinceps litigia circa ordinem sedendi evitentur, inter Magistros, & Præsentatos, servetur ordo iuxta gradus, non verò professionis antiquita-

quitatem. Diffinitores Provinciæ, & Diffinitores, ac Electores Generales, si sint Magistri, præcedant omnes alios Magistros; si verò Magistri non fuerint, sint Magistris immediati, etiamsi non sint Præsentati: inter ipsos tamē ordo antiquitatis servetur. Hæc ita sunt extra Capitulum: intra Capitulum verò, si sit Provinciale, Diffinitores Provinciæ antecedunt omnes, excepto Præsidenti, & Provincialibus electo, & absoluto. In Capitulo verò Generali, Provinciales sint immediati Præsidenti, iuxta Provinciarum antiquitates; deinde Prior Barchinonensis, si non præsideat, postea Procurator Generalis in Curia Romana, postea Diffinitores Generales iuxta antiquitatem suarum Provinciarum; & denique eodem ordine, succedant omnes Electores Generales. *Ex decreto Tolet. ab Vrbano VIII. confirmato apud Bull. fol. 249. Et ex decreto Capituli Murciensis.*

Prior Barchinonensis intra Provinciam Aragoniæ, si fuerit Magister, omnes alios Magistros præcedat; si autem Præsentatus, omnes alios antecedat Præsentatos. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

Patres Provinciæ servent inter se Provincialatus sui antiquitatem, etiamsi alio fungantur officio. Socij Magistri Generalis locum habeant immediatum Patribus Provinciæ, in qua extiterint, ita vt omnes Magistros præcedant. Patres graduati aliarum Provinciarum in quacumque Provincia, de licentia Superiorum extiterint sint immediati graduatis talis Provinciæ, ita vt si fuerit Magister sit immediatus omnib⁹ Magistris, & si Præsentatus, omnibus Præsentatis. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAP.

CAPVT XXX.

Secundum addita, & vigesimum octavum ordine Constitutionum, de Confessoribus, & confessionibus.

HOC caput coincidit cum capite 27. primæ distinctionis, sub eodem titulo, & nihil in hoc additur, quod ibi non fuerit statutum. Quare tanquam superfluum videtur expungẽdum. *Ex decreto Capituli Murciensis.*

CAPVT XXXI.

Secundum addita, & vigesimumnonum ordine Constitutionum, de sepultura Fratrum.

BOna stabilia, & ad legitimam fratris è vita decedentis pertinentia, quæ iuxta Constitutionem spectant ad domum, vbi professionem emisit, sunt conferenda, & veniunt in ius Monasterij, vbi talis Religiosus habitum Religionis suscepit. *Ex decreto Clementis VIII. apud Bull. fol. 227. num. 24.*

Bona verò mobilia sic distribuantur: habitus enim, & vestes inter Religiosos magis indigentes: libri verò à Magistro, vel Provinciali Conventibus studiorum (prout melius expedierit) impertiantur: alia tamen bona (si quæ fuerint) solutis ante omnia debitis defuncti, in quatuor partes æquales dividantur; quarum prima Conventui, in quo habitum suscepit, tribuatur; altera Provinciali, pro expensis Provinciæ conceditur: alia

alia in custodia Religiosi á Magistro Generali designati, pro sumptibus eius, vbicumque extiterit, reponatur; vltima denique ad Magistrum, pro expensis sui officij, & negotijs Curiæ Romanæ mittatur. *Ex decretis Capituli Hobtensis, Burtinensis, & Murciensis, ab hoc confirmatis, & emendatis.*

Quibus omnibus, diversis sessionibus maturè in hoc sancto Diffinitorio collectis, & vnanimi omnium consensu decretis, & confirmatis, vt in aptiorem formam, & observantiæ magis oportunam, ordinarentur, vniversum sanctum Diffinitorium authoritatem suam, & facultatem, quam ex vi nostrarum Constitutionum capite primo, distinctionis secundæ gaudet, ea meliori forma, via, & modo quo poterat, & necessarium esset, substituit, & substituere dixit, in authoritatem nostri Reverendissi Generis electi, vt hæc decreta ordinaret, & singulis capitibus insereret, & in editione actorum huius Capituli, typis mandaret, vt quam primum posset ad omnes Provincias (pro eorum observatione) remitteret. Insuperque omnem suam authoritatem substituit, vt nomine totius Diffinitorij, & Religionis suppliciter oraret sanctissimum pro confirmatione horum decretorum, vt efficacius perpetuam observantiam assequantur, & vel posset illa contexere in capitibus nostræ Constitutionis, prout clarius vissum fuerit, vel in nova impressione Constitutionum, per modum scholiorum singulis capitibus, prout superius ordinata sunt, adaptare.

Lecto denique coram omnibus Edicto sanctæ, ac generalis Inquisitionis, finem habuit præsens Capitulum, in honorem, & gloriam Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; necnon Immaculatæ Virginis Mariæ Dominæ, ac Patronæ nostræ, ac sanctissimi

Patris

Patris nostri Patriarchæ Petri Nolasci, die 20. mensis Octobris, anni à Natiuitate Domini 1658. á fundatione verò nostri Ordinis, & descensu Beatæ Mariæ Virginis 441.

Frater Ioannes Assensio, Generalis electus.

Fr. Bernardus Riera Prouincialis Aragoniæ.

Fr. Hyacinthus Iust Prouincialis Valentiæ.

Fr. Michael Auuri Prouincialis Galliæ.

Fr. Michael de Alcantara Procurator Generalis in Romana Curia.

Fr. Ioannes Perez de Zaragoça, Diffinitor Generalis Aragoniæ.

Fr. Ioannes Diaz Morquecho, Diffinitor Gñlis Castellæ.

Fr. Petrus Noguera Roig, Diffinitor Generalis Valentiæ.

F. Iacob⁹ Castellar, Prior, & Præses Capituli.

Fr. Hieron. de Valderas, Prouincialis Castellæ.

Fr. Ferdinandus Galarça, Prouincialis Italiæ.

Fr. Iosephus Abad, Diffinitor Generalis Aragoniæ.

Fr. Ioannes de Contreras, Diffinitor Generalis Castellæ.

Fr. Iosephus Sanchis Diffinitor Generalis Valentiæ.

Fr. Franciscus Faure, Diffinitor Generalis Galliæ.

Fr. Hieronymus Rux, Diffinitor Generalis Galliæ.

Fr. Ioannes de Salcedo, Diffinitor Generalis Vandaliæ.

Fr. Rodericus de Montiel, diffinitor Generalis Vandaliæ.

Fr. Antonius de Torres, Diffinitor Generalis Italiæ.

De Mandato Reverendissimi Patris nostri Generalis electi.

Fr. Gabriel Virgilio Secretarius Capituli.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg.6.lin.15.actum, lege *actu*. Pag.9.lin.18. ptuetuerunt, lege, *potuerunt*. Pag.15.lin.21. Capitulos, leg. *Capitulo*. Pag.20. lin.13. necesseria, lege, *necessaria*. Pag.28.lin.16. cognognoscatur, leg. *cognoscatur*. Pag. 33. lin.20. Vicarijs, leg. *Vicarij*. Pag.48.lin.26. Vacarium, lege, *Vicarium*. Pag.52.lin.12: sc, leg. *se*. Pag.54. lin.7. legitamè, leg. *legitimè*. Pag. 61. lin. 29. post omninò, adde, *impeditus*. Pag. 64. lin. 27. Magister, leg. *Magistri*. Pag.68.lin.15. charitatate, le. *charitate*. Pag. 69. li.11. invenerint, le. *invenerit*. Pag.70.lin.12. qualitati, le. *qualitatis*. Pag.76.lin.3. ad, lege *à*. Ibidem lin. 6. nisi, leg. *nisi*. Pag.78.lin.20. omves, le. *omnes*. Pag.80. lin.16. Reverendisi. lege *Reverendissimi*. Ibidem Generis, leg. *Generalis*.

Et ego infrascriptus Secretarius fidem facio huiusmodi trassumptum prædictarum ordinationum, & decre-

cretorum Capituli, prædictis mendis purgatum, verum, fideleque esse,& cum ipsis originalibus decretis, & actis in libro Religionis exaratis vndequaque conforme. In quorum fidem præsens trassumptum manu propria subscripsi, & sigillo minori Ordinis communivi.

ciarum Capituli, prædictarum dispositionum, po-
tum [illegible]
& aliarum [illegible]
ferme. In quorum fidem præsentes [illegible]
propria subscripti, & sigillo minori Ordinis communi-
ri.